



Apologia modesta et Christiana, ad acta conventus quindecim theologorum Torgae nuper habiti. : Ex qua liquet quid in Ecclesiis Helvetiae, & illis adiunctae Geneuensi, itemque Sabaudicis, Polonicis, Scoticis quae Helueticarum Co[n]fessionis diserte subscripserunt, à quibus etiam nec Gallicae nec Anglicanae v[er]o modo dissentiu[n]t, De Sacra Coena Domini ex vno Domini ipsius verbo dictu[m] scriptumque sit, & quibus apud Illustrissimos Augustanae Confessionis Principes Christianasque Respublicas calumniis affecti sint fideles tum mortui tu[m] vivi serui Dei nuper in illo Torgensi Conuentu, indicta causa, nulláque praeunte iuridica causae cognitione, pro impiis & sceleratis damnati.

<https://hdl.handle.net/1874/422692>



l.
5
6

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board













E.
2

E. oct.

275⁶.





275
A P O L O G I A
M O D E S T A E T
Christiana,

A D A C T A C O N V E N T V S
*Quindecim Theologorum Tor-
gæ nuper habiti.*

E X Q V A L I Q V E T Q V I D I N
Ecclesiis Heluetiæ, & illis adiuncta Gencuensi, itémque Sa-
bandicis, Polonicis, &oticis quæ Helueticarum Cōfessionī
disertè subscripserunt, à quibus etiā nec Gallicæ nec An-
glicanæ vllō modo dissentiūt, D E S A C R A C O E N A
D O M I N I ex vno Domini ipsius verbo dictū scriptūm-
que sit, & quibus apud Illustrissimos Augustanæ Confessio-
nis Principes Christianasque Respublicas calumniis affecti
sint fideles tum mortui tū vitii serui Dei nuper in illo Tor-
geni Conuentu, indicta causa, nullaque præeunte iuridica
causæ cognitione, pro impiis & sceleratis damnati.



E X C V D E B A T
E V S T A T H I V S V I G N O N .
M. D. LXXV.

AT T O T O G L A

W H I T E

W H I T E

W H I T E

W H I T E

W H I T E

W H I T E

W H I T E

W H I T E

W H I T E



3

*APOLOGIA MODE-
sta & Christiana ad Acta Conuentus
Quindecim Theologorum Torgæ
nuper habiti.*

REsponsuri ad ea quæ nuper in nos præter omnem iudiciorum tum ciuilium tum Ecclesiasticorum morem à Quindecim Theologis Torgæ in Saxonia illustrissimi Principis Electoris ac Domini, D. Augusti Saxonæ ducis mandato, vt aiunt, aduersum nos congregatis, acta, scripta, & publicè edita sunt: rogamus etiam atque etiam qua decet animi submissione per Domini nostri Iesu Christi nomen, tum ipsius illustrissimi Principis Electoris, tum cæterorum etiam illustrissimorum eiusdè Augustanæ Confessionis principum Celsitudines, omnes denique eandem Confessionem amplexos, ne hanc defensionem nostram iniquis animis accipiant: quæ

vel cuiusquam fidei dominari, vel litem de lite serere nobis sit propositum: Sed vt potius cogitent quid eos facere oportuerit, qui nullius adhuc falsitatis ex verbo Dei conuicti, nec sibi malè conscii, à paucissimis ac penè nullis hominibus, nulla profus allata nedum audita & collata coràm vtrinque acceptis iudicibus ratione, damnati sunt, ac si in legitima omnium Christianarum Ecclesiarum Synodo, iusta ex verbo Dei præeunte cognitione, auditi conuictique, tanquam impœniteres denique damnati proscriptique forent. Certè quum vel in minimi momenti controuersus liceat reis etiam legitime citatis, auditis, & damnatis ad superiora tribunalia prouocare, non debet hoc iis denegari in quorum personis plures penè homines ab istis Quindecim, nullo more neque exemplo, sunt impietatis & blasphemix atrocissimorum criminum damnati, quàm ipsi capillos in capite gerant. Et quoniam illi proculdubio ad illustrissimi Principis Electoris, cuius mandato se conuocatos fuisse dicunt, nomen & autoritatem confugient, precamur illustrissimi Principis Celsitudinem, vt secum etiã

atque

atque etiam cogitet, habendam esse tot Ecclesiarum rationem, quæ communes cum ipso aduersarios oppugnent: neque tot viros de quorum & doctrina & pietate grauissima extant testimonia, æquum esse Quindecim hominum repente coeuntium, &, quod ipsa tandem res ostendet, autoritate ipsius Celsitudinis abutentium, oligarchico imperio proscribi. Nō ita certè vetus Ecclesia & Christiani imperatores, ne aduersus Arianos quidē egerunt, toties auditos, & damnatos. Et istas damnatorias sententias nostra memoria quum nulli acrius viderent in Comitibus imperii quàm Pontificii, hoc vnū quærentes vt nos prorsus disiungerent, non conserunt Principes qui iam tū alioqui à nostris Ecclesiis in hoc capite dissidebant: quòd negarent æquum esse in tanti momenti controuersia, quippiā in eos qui vocati & auditi non essent, ita tuere. Vicit hæc æquissima Sententia in Comitibus Spirēnsibus Anno Domini. M. D. XXIX: & rursus in Norimbergensi cōuentu Anno M. D. XXXII, exhibita iam Confessione Augustana, tentata quidem rursus, sed improbata fuit aliarū Eccle-

fiarum proscriptio. An verò nunc à tam paucis ritè factum fuerit, quod toties omnibus displicuit, quum iidem simus qui tum eramus, & eadem adhuc rationes valeant? Et qua deinceps exceptione aduersus Põtificiorum Synodos utemur, si alii alios eo ipso modo damnemus, quem in communibus aduersariis meritò reprehēdimus? Si Lutheri nomen prætextitur, præterquàm quòd illius iudicium priuatũ est, cur nihili sit Philippi & Buceri autoritas, qui certè, si Lutheri asperitatem probassent, vel eos pro hæreticis, blasphemis, & impiis habuissent, quos isti nunc Quindecim viri (quorum vix nomina in Ecclesiis nota sunt) viuos & mortuos cõdemnant, nũquam cum Bulingero, Caluino, Martyre, amicitiam ad extremum vsque coluissent. Imò quis ignorat Philip-pum in postremo Vormatiensi colloquio Anno Domini M. D. L V I I, summa contentione hoc ipsum quod hi iam ex comparato, nemine videlicet repugnãte perfecerunt, impediuisse? Et habet hæc ætas scilicet illis summis viris vel sapientiores, vel doctiores, vel meliores Ecclesiarum gubernatores? Atque ne hæc veluti in se
dicta

dicta interpretetur ipsius Celsitudo, tantum abest ut de ipsius voluntate in hac ipsa controversia componenda dubitemus, ut contra nullius magis Principis cognitionem hac de re requiramus: ipsamque adeo imprimis precemur, ut quod & ipsius priuatim & omnium Christianarum Ecclesiarum maximè interest, Quindecim viros istos idonea siqua tandem dabitur ratione sistat coram legitimo Ecclesiastico iudicio suarum condemnationum rationem reddituros, ad futuris etiã Deo fauente, nobis, & nisi causam nostram ex omni iure diuino & humano probauerimus, iustas etiam poenas subituris.

Accusamur ergo simulque damnamur furoris, ut vocant, Sacramentarii: quo nomine nisi qui nos damnant abuterentur, commiseratione certè potius quam poena digni essemus. Sed quoniam isti hoc etiam vocabulo, quod ipsis potius bilis quam ratio suggessit, abutuntur, agere perinde hoc accipiamus, ac si duntaxat summæ nos improbitatis ac malitiæ damnarent. Aiunt enim eos esse nos qui Christianas omnes Ecclesias, Academias, Scholas, integra denique regna turbaue

rimus, vastauerimus, incenderimus, denique omni lethali damno affecerimus. Agnoscimus veteres & rancidas illas calumnias non ipsis modò Prophetis & Apostolis, ac deinceps fidei tum Confessoribus, tum Martyribus, sed Christo etiam ipsi obiectas. Quia tamè excipi potest, ut falsò hæc in illos dicta sint, in nos tamen verè dici, quæso, quas tot atrocissimorum criminum probationes adferunt? Notum est hoc, inquit, omnibus: sic enim illi condemnatoriam suam sententiam inchoant. Sic olim etiam Scribæ Pilato, Nisi hic esset malefactor, non tradidissemus eum tibi. Cedò verò, tàmne vecordes omnes adhuc fuerint, ut de tantis nostris iniuriis nullæ Academiæ, Scholæ, Ciuitates adhuc conquestæ sint? Imò omnes, inquit. Vnam ergo aliquam proferant. Rogentur omnes Papisticæ. Respondent vno ore, quamuis nos priuatim oderint, omnium calamitatum suarum autorem esse non Zuinglium, non OEcolumpadium, non Calvinum, non Martyrem, non Bulingerum, non Bezam, sed vnum illum (haud meritò tamen) vnum, inquam, Lutherum, ut qui non alio quàm Luthe-

anorum

ranorum nomine omnes, quos vocant, hæreticos nuncuparint, donec ab his nostris aduersariis Zuinglianorum & Calvinistarum nomina discerent. Nec verò hoc nostris istis damnatoribus acerbum videri debet, quum non ita pridem Selneccerus Calvinismo, quem appellat, nō Christianismum, sed Lutheranismum opposuerit. Ex cæteris autem Academiis quæ à Romano Pontifice, optimo iure defecerunt, quænam tandem nos communi iudicio, nō dico damnauit, sed accusauit? Lugent nunc certè, lugent duo illi Saxonix oculi, Vvitteberga & Lipsia, quarum gemitus hic vsque exaudimus, testantium & à quibus in hunc luctū cōiectæ sint; & quorum opera fit effectum vt deserta nunc pulpita cernantur; quos denique doctores & magistros sibi ereptos querantur. Neque verò quum hoc dicimus, cuiusquam priuati causam in nos recipimus, sed hoc vnum testamur, minimè nos vereri, ne si iure agantur omnia, eorum testimonio cadamus, quos isti à nobis tanto affectos damno clamitant. Proferunt autem aliud etiam testimonium, graues videlicet pœnas diuinas

velut è vestigio in iis locis sequutas, in
 quibus, vt inquirunt, Sacramentarius iste
 furor obtinuit. Istud verò cuiusmodi tan-
 dem est? Etenim si hoc valet, vt vbi-
 que Satan turbas excitat, ibi quoque fal-
 sa doctrina obtinuisset videatur, quid su-
 pererit, nisi vt omnes quoque Prophetæ,
 Apostoli, & Martyres nobiscum damnen-
 tur? Excitatum est ciuile bellum in Helue-
 tia. Num verò idcirco quòd consubstan-
 tiationē, an verò potius quòd omnem Pa-
 pismum ciuitates illæ repellerent? Rogen-
 tur qui Papisimum eo bello defenderunt,
 & palàm respondebunt etiamsi Lutheri
 sententiam vrbes illæ sequutæ fuissent, nō
 minus tamen sese acres illis aduersarios
 fuisse futuros. Exortum est in Gallia ciuile
 bellū. Rogentur istius belli faces, cur ipso-
 rum hortatu bellum hoc tam sæuū & diu-
 rurnum cœperit. Respondebunt quod res
 ipsa indicat, quanuis in Pissiaceno conuē-
 tu Augustinam Cōfessionem quasi *ἐπίδοξ
 μῆλον* (& quidem frustra Dei beneficio)
 proiecerint, & postea Brentio sint adulati,
 se tamen non minus vnos quàm alteros
 perditos cupiuisse. Exarsit quoque Belgi-
 ca ciuilibus certaminibus, quibus adhuc
 vexatur,

vexatur. Rogentur Hispani num hoc faciant in Lutheranorum gratiam. Respondent, si verum volent fateri, Missam à se & Pontificem cōtra omnes secus sentientes propugnari. Et, vt hoc negent, bonus ille vir Flaccius cum sua factione, quāuis cum Papistis sese adiunxisset, ab Hispanis tamen pariter expulsus, vel inuitus id probabit. Quòd si alius nobis conscendendū est, nempe ad Diuini ipsius iudicii coniecturas, prius de nostræ doctrinæ falsitate constet necesse est, quàm meritò censeri possit Deus Optimus Maximus tot populis propterea tam grauitè succensuisse. Et hoc nobis videtur posse affirmare, de quo etiam constare iis omnibus arbitramur, qui penè innumerabilium iis temporibus in Hispania, Gallia, Belgica, Anglia, Italia denique constantissimè mortuorum pro Christi nomine Martyrum historiam degerint, eam Spiritus diuini vim in illorum verè perscriptis confessionibus tum piissimis, tum etiam eruditissimis elucere, vt quicumque hoc non animaduertant, nedum vt eos pro mendacii defensione mortuos putemus, omni potius diuini Spiritus lumine orbati videantur: & crudelitatis

extremæ notam effugere non possint, qui tam fortibus Christi Martyribus etiam mortuis detrahere non verentur. Quid si verò coniecturis vicissim nobis liberet indulgere? An deessent quæ toti vicissim Germaniæ, & quidem priuatim Saxonix, ipsique adeò Vvittebergæ & Lipsiæ obiceremus? Sed absint hæc à nobis, qui potius has Ecclesiarum cruces inter ipsarum decora numerare didicimus.

Hæc igitur illorum criminatio est. Nã cætera quantumuis grauias, quæ in illa sua præfatione recensent, etsi ad nos quoque pertinent, quia tamen priuatos quosdam respiciunt, quorum sortem sic commiseramus, vt tamen non satis compertæ nobis ipsorum causæ atrociniũ minime susceperimus, prætermittere maluimus, quàm ad viuũ recare. Et quoniam arbitramur huius causæ cardinem in eo præcipue versari, vt quærat̃ur pia an impia sit nostra de Cœna Domini doctrina, agendum ad rem ipsam veniamus.

Seruabimus autem hunc ordinem, vt primùm ad errores respondeamus, iis in hoc Quindecim virali iudicio attributos, quos singulari quodam, at certè parum
Chri-

Christiano artificio, communi nomine Sacramentarios appellant, quasi videlicet cōmunes inter nos istos errores habeamus. De hac tamen callidè in nos subornata calumnia vt liquidò constet, colloçabimus primo loco portentosa ista deliria, quibus respondere nos minimè necesse est, quum ea nobis Dei beneficio ne in mentem quidem vnquam venerint. Nempe,

E R R O R I.

Quòd panis & vinum nihil amplius sint quam signa professionis aut indicia quadã, vt ex eorum fruitione Christiani sese inuicem cognoscant, & ad fraternam dilectionẽ & concordiam inuidentur.

E R R O R I I.

Quòd Christus quando hæc verba dixit, Hoc est corpus meum: non ad porrectum panem, sed retrò ad corpus suum respexit: Accipite & edite panem, meum corpus hic sedet. Ita Carolo stadus scurriliter lusit.

E R R O R V.

Quòd hæc tota oratio, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, ita intelligi debeat, Est creatura Dei, & hoc modo Christi corpus, sicut alie omnes creature Dei corpus

sunt, secundum Campani fanaticum errorem.

E R R O R V I.

Quòd verba Christi ita construi debeant, Accipite, Edite, meum corpus est hoc, scilicet spiritualis animæ cibus, secundum rabiosum Schuenfeldii commentum.

R E S P O N S I O.

Respondemus, nos iam respondiisse, nihil omnino ista ad nos pertinere. Iam ad alia capita accedamus, quæ partim agnoscimus fuisse bona fide ex nostrorum scriptis deprõpta, partim verò siue imperitia siue prauo affectu id factũ sit, vel detrucata, vel in alienũ sensũ detorta sunt. Cuiusmodi est I I I. hic error quẽ vocat.

E R R O R I I I.

Quòd vocula EST, idem significat, ac si scriptum esset Panis significat corpus meum: ita Zuinglius, aiunt, insant.

R E S P O N S I O.

Respondeat hinc pro nobis Sacramentorum omnium communis natura, quòd videlicet terrenæ res significandis cœlestibus ex Domini mandato adhibeantur. Ex quo consequitur, vel panem illum, & illud vinum, non esse Sacramenta, vel idcirco

circo esse Sacramenta, quòd res cœlestes, id est corpus & sanguinem Domini nobis significant. Quiuis igitur hîc iudex esto, insanieritne Zuinglius, quum verbū *E S T* per *significat* interpretaretur: an potius non satis sapiât Quindecim viri, qui quū negare non possint panem & vinum esse Sacramenta, id est signa corporis & sanguinis Domini, tamen pro insano & impio eum habēt, qui hæc Christi verba de pane sanctificato, *H O C E S T C O R P V S M E V M*, idem valere dicat, atque *Hic panis significat corpus meum*. Quid nultis? Si insanit quisquis panem illum & vinum illud dicit Christi corpus & sanguinem significare, insanierit Dionysius, quem nemo in hac quidem controversia, tanquā errantem notavit. Eius autem hæc verba sunt, Visibilia sacramēta sunt rerum inuisibilium & intelligibilium quas significant, imagines. Item, Panis sanctus & calix benedictionis sacræ sunt symbola, & venerabilia signa, per quæ Christus signatur, & sumitur. Insanierit Tertullianus quum diceret Christum dedisse figuram corporis sui. Insanierit Hieronymus scribens Christū per hæc verba, *H O C E S T*

» CORPVS MEVM, veritatem corporis
 » sui repræsentasse. Inſanierit Ambroſius
 » ſcribens verba Chriſti, Hoc eſt corpus
 » meum, idem valere, quòd veri corporis
 » ſacramentum eſſe, quia poſt conſecratio-
 » nem, corpus Chriſti verè ſignificatur. Et
 » alibi, Carnem, inquit, & ſanguinẽ Domi-
 » ni quæ pro nobis oblata ſunt, in edendo
 » & potando ſignificamus. Item alibi, In
 » Dominicę Cœnæ ritu & actione, carnis &
 » ſanguinis Chriſti ſimilitudinem accipi-
 » mus. Inſanierit Auguſtinus infinitis penè
 » locis inculcans panem dici corpus, quia
 » ſignũ fit corporis. Omitto Græcos Theo-
 » logos, qui ἀντίτυπα & ſύμβολα panem &
 » vinum paſſim appellant. At enim, inquiunt
 » qui nos damnant, non dicunt illi ſigna
 » eſſe abſentis corporis. De hoc verò mox
 » viderimus. Sed interea hoc efficitur, hæc
 » enuntiationem veriffimam eſſe, *Hic panis
 » ſignificat corpus Chriſti, & diuerſas pror-
 » ſus eſſe quæſtiones, An panis ſignificet cor-
 » pus, & An ſignificatio hæc ſit præſentis vel
 » abſentis corporis. Quòd diſcrimen ſi da-
 » mnatores noſtri non obſervarunt, iudica-
 » runt de re ſibi incomperta. Sin verò ob-
 » ſervarunt quidẽ, ſed aſtutè diſſimularunt,
 » viderint*

viderint quam conscientiam ad rem tā-
tam diiudicandam, tōtque damnandas in
vno Zuinglio Ecclesias attulerint. Sed
hīc rursus fortassis excipient, non con-
uenire tamen huic loco istam interpreta-
tionem. Ostendant igitur ex quo Scriptu-
ræ loco, si non ex ipsis institutionis Cœ-
næ verbis, colligatur, Panem esse Sacra-
mētum, id est signum esse corporis, siue
corpus significare. Nam istæ enuntiatio-
nes omnes, *Panis iste est Sacramentaliter
corpus, siue Est Sacramentum corporis, siue
Significat corpus*, verbis quidem diuersis
conciipiuntur, sed vnam eandemque per
omnia sententiam exprimunt, eamque
tam veram & Christianam, quàm cōtra-
ria falsa esse prorsus, & sacramenta magis
conuellit, quàm transubstantiationis
dogma, vtpote quod accidentia saltem
pro signis ponit. Cōtrā verò, si panis qui-
dem substantia manet, sed insunt quis-
quis panē dicit significare corpus Chri-
sti, quod tandem sacramentum, siue si-
gnum corporis in Cœna Domini habe-
bimus?

ERROR III.

Quod hæc verba M E V M C O R-
B. i

*P V S, non aliud significant quàm signum
& figuram absentis corporis. Hæc erat Oeco
lampadii sententia, aiunt, & nullius momen-
ti prætextus.*

R E S P O N S I O.

Imò non neganda, sed distinguenda
fuit absentia vox: qua si notetur loci di-
stantia (corpus autem Christi quum verum
sit quantumvis glorificatum, vbicunque
est, est vt in loco) minimè nos pudet eius
sententia, cuius autores cum Christo
Angelos & Euangelistas habemus, de i-
pso secundum corpus à nobis vero dif-
cessu, nec ante vltimum illum diem futu-
ro reditu testificantes: ipsumque adeò Pe-
trum & Paulum, testes omni exceptione
maiores. Quod si ad veteris Ecclesie testi-
monia deueniendum est, testatur Cyril-
lus disertis verbis, nullum ambigere Chri-
stum presentia carnis abesse. Et ne per
presentiam carnis, quisquam cauilletur
significari carnalem modum presentia,
qui inuisibili & ineffabili, reali tamè ne-
scio cuius presentia modo opponatur,
idem alibi, Corpore, inquit, absens Chri-
stus, sedet & interpellat apud Patrem, qui
spiritu, (id est secundum Deitatem & ef-
fica-

ficaciam) in sanctis habitat. Item, Quum, “
 inquit, Spiritum immitteret Apostolis, “
 non potuit cum eis carne conuersari, vt “
 qui ad Patrem ascendisset. Quid verò “
 Vigilius ille Eutychniani dogmatis oppu- “
 gnator, idemque fidelis Christi martyr? “
 Dei Filius, inquit, Humanitate sua reces- “
 sit à nobis, qui secundum diuinitatem di- “
 xit, Ego vobiscum sum vsque ad consumma- “
 tionem seculi. Item, Quando caro fuit in “
 terris, non fuit in caelis: & nunc quia in “
 caelo est, non est vtique in terra, quum è “
 caelo vettura speretur. Quid Augustinus? “
 Abiit per id quod Homo, & vno in loco “
 erat: mansit per id quod Deus, & vbique “
 erat. Item, Quia secundum carnem ascen- “
 dit in caelum, non est hic, & ibi non autem “
 hic sedet ad dexteram Maiestatis. Item, “
 Dominus sese corpore absentauit ab o- “
 mni Ecclesia, & ascendit in caelum, vt fides “
 edificetur. Quid Fulgentius? Christus se “
 cundum humanam substantiam absuit “
 caelo quum esset in terra, & dereliquit “
 terram quum ascenderet in caelum. Item, “
 Ascendit in caelum, quia verus & localis “
 homo, sicut adest fidelibus, quia immen- “
 sus & verus est Deus. Et sunt haec quidem “

à nostris cum aliis similibus testimoniis
 millies citata, nunc autem idcirco repe-
 tita, vt omnes norint, quo iure pro hære-
 ticus damnentur, qui Christi corpus, siue
 Christum secundum carnem, à terris
 nunc reipsa abesse dicant, nec inde prius
 reuersurum, testantibus Angelis, quàm
 redeat viuos & mortuos iudicaturus. Sin
 verò eo sensu dicatur Christus abesse, vt
 quoniam in cœlis est non in terris, idcir-
 co in sacra Domini Cœna neque adsit,
 neque præbeat, neque percipiatur, ma-
 gna fit optimo & doctissimo viro, sanctæ-
 que memoriæ Doctori Io. OEcolampa-
 dio, nobisque ad eò omnibus iniuria, qui
 corpus illud ipsum quod in cœlis est nō
 in terris, non minus tamen verè, ac etiam
 multò efficacius ex Domini institutione
 fidei manu & ore percipiendum præbe-
 ri credimus, quàm verè externa illa sym-
 bola oculis cernuntur, manu tanguntur,
 ore denique corporis percipiuntur. Nec
 aliam fuisse vel esse nostrorum sententiã
 ex ipsis Domini Zuinglii sancti Christi
 martyris verbis mox ostendemus.

ERROR VII.

*Quòd panis & vinū nihil amplius quàm
 signi-*

significatio, similitudo, & representatio corporis & sanguinis Christi sint, hoc est omnium beneficiorum merito Christi partorum: & istud quidem hoc intellectu, Sicut panis & vinum nostri corporis vitam confortat & sustentat, ita corpus & sanguinem Christi ac beneficia & merita his parta, esse unicum spiritualem animæ nostræ cibum ac nutrimentum secundum Caluini, Beza, Bulingeri, Martyris, Heidelbergensium, & qui horum cõiurati sunt opinionem, quam etiam in libris innumerabilibus longè latèque spargunt, & cū multis blasphemis vsque ad hodiernum diem propugnant. Quod videlicet panis & vinum nihil amplius sint, quàm tessera, signum, pignus, aut memoriale absentis Christi corporis quod à nobis discesserit, & aliquando ad nos rediturum sit. Et esse tantum hoc modo panem corpus Christi, sicut memoriale est illud ipsum, de cuius memoria admonere nos debet. Hæc est supra nominatorum Sacramentariorum fides.

R E S P O N S I O.

Putida quoque est hæc calumnia, & millies à nostris refutata. Quorsum ergo coram Deo & Angelis, & vniuerso mundo testamur, à nobis pro re cœlesti per

panem illum & vinū illud in Cœna Domini significata, statui non ipsa duntaxat Christi merita, aut eius ἐπεργεῖαν, sed illud ipsummet corpus pro nobis traditū, & illum ipsum sanguinē pro nobis effusum, Christi videlicet verbis & institutioni innitētes? Sunt autem rursus hæ duæ quæstiones diuersæ, *Quid nobis in Cœna per panem & vinum significetur, & fide percipiendum detur, & Quorsum, siue in quem finem nobis Christus ipsemet illic detur, & à credentibus percipiatur.* Et ad priorē quidē quæstionē respōdemus, Christū ipsum totū, ac maximè secundū carnē quæ nūc in cœlis est, & qua frater noster est, nobis verò in Cœna per illa Symbola significari, & nobis per fidem spiritualiter percipiendū, ac fruendū tradi. De posteriore verò interrogati, dicimus, nō huc spectare hanc communicationē, ut corporis Christi materia cū corporibus nostris cohæreat, (nā ne hoc quidē nobis quidquā prodesset, & quorsum hoc monstrū?) sed ut ipsius participes facti, quæ ipsius sunt, nostra fiant, & ipsius præterea virtute renouati, tandem cum ipso æterna vita, & animo & corpore perfruamur. Quæ quum ita se habeant, quīnam tandem verum

esse potest quod Quindecim viri isti obijcere nobis non desinunt, quum ex ipsa etiam orali, quã vocant, perceptione, nihil amplius quàm hoc ipsum quod dicimus consequi possit? Quod autem de corporalis alimonix cum spirituali cibo conveniẽtia nobis obiiciũt, quasi hoc ipsum nec quidquam aliud per panem & vinũ nobis significari cẽseamus, viderint quoque quo iure in nos dicatur. Aliud enim est Signum, aliud Res significata: aliud denique convenientia & proportio inter Signum & Rem significatam. Signa sunt, Panis ille, & Vinum illud: res significata sunt Corpus illud pro nobis traditum, & Sanguis ille pro nobis effusus, totus denique ipsemet Christus: convenientia autem multiplex quidẽ, sed hæc imprimis observanda, quòd sicut ex pane & vino naturaliter sumptis in hac mortali vita sustentamur, ita ex ipso Christo, cui per fidem percepto unimur, dona omnia ad vitam eternam necessaria, ipsum denique eternę vitę veluti succũ haurimus. Quòd si hæc ita distinguere, est hereticũ esse, agẽ, doceãt nos Quindecim viri quid sit esse Christianum. Nos autem dicimus,

calumniari hoc ipsum esse quod agunt.

E R R O R . V I I I .

Quòd Christus panem ideo vocet suum corpus, & calicem suum sanguinem, Paulus verò Communionem corporis & sanguinis Christi ideo appellet, non solum ut nos eo doceat, sicut panis & vinum hanc corporalem vitam conseruant, ita etiam ipsius crucifixum corpus & effusum sanguinem esse verum cibum & potum animarum nostrarum ad vitam æternam, verum etiam & quidem multo magis, quòd nos per hæc signa & pignora velit certos facere, quòd tam verè sui corporis & sanguinis per operationem Spiritus S. participes fiamus, quàm verè hæc sancta sigilla ore in sui recordationem accipimus. Ita sonant Catechismus Heidelbergësis, Declaratio Heidelbergësis, & noua Exegesis, ubi occulti Sacramentarii se ipsos produnt, dum sub nomine & umbra verborum D. Philippi fingunt & alius persuadere conatur hæc duo eadem esse, videlicet, quando D. Philippus dicit, Fruitionem huius Cœnae in qua verum ipsius corpus & verus sanguis distribuuntur, esse testimonium suae perpetuae & aeternae presentiae atque operationis in sanctis: & quando ipsi Sacramentaduersarii dicunt, solam fruitionem
nudi

nudi panis & vini, non autem verum præ-
 sens & distributū corpus & sanguinē Chri-
 sti esse huius suæ operationis testimonium &
 pignus. Hæc est istis tēporibus maximè sub-
 tilis & acutissimainuersio veritatis in hoc
 Sacramento, quæ multos homines fascinat.
 Et sunt sequentia verba eorūque sensus
 cum præcedentibus eiusdem valoris: nempe
 Panem ideo vocari Corpus Christi, propter
 usum & officium, nimirum, ut nobis sint sa-
 cramentum vel testimonium societatis cum
 Christo, quod nos scire nō possemus, nisi Chri-
 stus verbis suis additis ita ordinasset, quod
 videlicet nos tam verè suo corpore & sangui-
 ne pascere velit, quàm verè naturalem panē
 in Sacra Cœna percipimus. Et hoc iterum se-
 cundùm Heidelbergensem fanaticam cōfes-
 sionem, quæ extat in libro cui titulus est,
Grundlidi Beruk.

R E S P O N S I O.

Heidelbergenses fratres exultamus
 facilè hanc quoque calumniam tacenti-
 bus nobis, depulsuros. Subtiles & argu-
 tos esse aiunt, qui non ipsum Christi cor-
 pus verum ac præsens distributum, sed
 fruitionem nudi panis & vini docēt esse
 præsentia & operationis Christi in suis

sanctis testimonium ac pignus. Atqui nudus panis & nudum vinum ab iis non statuitur, qui panem illum & vinum illud, non vt res naturales, sed vt vera & efficacia sacramenta in Cœna ex Domini instituto considerant. Præterea certè ex illis Heidelbergensis Ecclesiæ scriptis quæ citant, nihil tale, imò contrarium prorsus colligi potuit ac debuit: nempe panem ac vinum adhiberi, non tantùm vt nos admoneant petendam esse vitam æternam ex Christi corpore crucifixo, & sanguine effuso, sed imprimis præberi nobis vt sigilla, & pignora, quòd hoc ipsum corpus, & hic ipse sanguis nobis Spiritus sancti operatione ac virtute ad vitam æternam in illa actione Cœnæ Domini communicentur, siue, in Cœna Domini non ostendi tantùm nobis Christum per illa symbola, veluti in pictura quapiam, sed sicut illa signa non tantùm nobis spectanda præbentur, verũ etiam in manus & os sumenda traduntur, ita quoque res per illa significatas, nobis quoque in vitam æternam dari, sed spirituali demum virtute per fidem participandas. Quid igitur amplius isti requirunt? nẽpe, vt ipsam quoque

quoque rem significatam, id est corpus & sanguinem Christi, & oralem eorū manducationem, sacramentum ac signū esse dicamus. Cuius verò rei, nisi fortè sui ipsius, sacramentum? At istud certè tã est absurdum, vt mirum sit cuiquam in mentem venisse, aut à quoquam ex P. Lombardo repeti potuisse. Imò, inquit, est huius præsentia ac operationis Christi testimonium ac pignus. Imò verò non testimonium neque signum est, si propriè loquamur, sed est ipsa met causa istorum effectū. qua ratione si corpus ipsum Christi, vel eius manducationem libeat Sacramentum siue pignus vocare, manifestus sit paralogismus in his nominibus. Nam hoc modo liceret tot numerare sacramenta, quot bona à Deo recipimus, quum tot sint ipsius in nos benevolentia signa, & pignora. Hic autem Sacramentorum nomine intelligimus signa, quæ non ex sui natura, sed ex pacto adhibentur, vt per ea Spiritus sanctus augeat & obsignet in nobis rerum significatarum certitudinem. Eiusmodi sacramentum esse non potest neque corpus Christi, neque ipsa corporis sumptio siue fide, siue etiam ore id

peragi & corpus sumi dicamus, vt pote
quæ nihil significet, sed sint illud ipsum
quod nobis à Deo confertur.

E R R O R I X.

Quòd omnes & singuli veteres & noui
Sacramentarii hunc fanaticum errorē per-
tinaciter tuentur: Non posse verum intelle-
ctum verborum Christi haberi, si nullū tro-
pum, figuram, figuratam significationem, aut
nouum intellectum verborum ponamus &
recipiamus, aut illa non iudicemus secundum
morem & analogiam Sacramentorum vete-
ris & noui Testamenti (vt ipsi loquuntur) ve-
rùm secundum clara, euidentia, indubitata
verba, quibus Dominus Christus qui ipsa est
vita & veritas, hoc Sacramentum instituit,
& nobis mandauit. Porro hoc etiã dicit Ex-
egesis, Non oportere ad verba, sed ad mentē
Christi respici, & secundum illam iudicari.
Item, si nuda & clara verba Christi tenea-
mus, id verè esse idolatriam, superstitionē,
& idololatriam maiorem, quàm esse possunt
omnes Pontificia abominations &c. Quasi
verò possimus Christi sententiam, affectum
& voluntatem, & id quod æternus Pater ille
nobis annuntiandum mandauit, alibi quàm
in ipsius veracissimis, & ab omni fraude re-

motissimis verbis inuenire, aut aliud de quàm ex Apostolorum & Prophetarum testimoniis accipere, credere, & inde salui fieri. Et quasi os illud veritatis aliter loqueretur, quàm cor ipsum sentiret & affectum esset.

R E S P O N S I O.

Omittimus conuitia quæ saltem iudices minimè decent, qui sibi tantam damnandam tot homines auctoritatem arrogant, quin potius procamur Filium Dei gehennam iis comminatum qui fratrem fatuum vocarint, ut ipsis condonet. Calumnias autem prætermittere non possumus. Nouum intellectum verborum Christi quum nobis tribuunt, idem faciunt atque communes illi aduersarii nostri, qui nouum Euangelium à nobis introduci quiritantur, quum de vnico illo veteri instaurando laboramus. Vnum saltem eius rei testimonium ex illis penè innumerabilibus quæ toties & ex verbi Dei collatis locis, & ex erudita vetustate protulimus, vnū, inquam, ex media antiquitate testem audiant Augustinum his verbis, ut ipsi non ignorant, nos instruentem, quo sensu res significata de signo, & quidē in hoc ipso Eucharistiæ Sacramento, prædicetur: ne

fortè excipiat aliquis istam metonymiã
quam Sacramentalem vocamus, in aliis
quidem Sacramentis veterum, ac etiam
in Baptismo locum habere, in hoc verò
non item. Sic igitur Augustinus, sicut to-
tes citauimus: Si Sacramenta quaedam
similitudinem earum rerum quarum Sa-
cramenta sunt non haberent, omnino Sa-
cramenta non essent. Ex hac autem simi-
litudine plerunque etiam ipsarum rerum
nomina accipiunt. Sic secundum quen-
dam modum, Sacramentum corporis Chri-
sti (panis ille videlicet) corpus Christi est:
sacramentum sanguinis Christi (calix il-
le nimirum) sanguis Christi est. Hic igitur
ille est noster intellectus, hic
noster furor. Altera calumnia cuiusmodi
tandem est? Ait, inquit, Exegesis, liber
quidem noster, sed veteris orthodoxæq;
doctrinæ plenus, Nō oportere ad verba,
sed ad mentem Christi respici, & ex illis
iudicari. Magnum certè piaculum, dice-
re verba quibus vtatur Christus, non esse
propria nativæque significatione acci-
pienda, sed ex eius rei de qua loquitur
natura, siue ex loquentis consilio & insti-
tuto esse intelligenda. Quid ergo? di-
cere-

cerene audebunt nostri Quindecim vi-
 ri, quæcunque à Christo dicuntur, sic di-
 ci, ut absque vilo tropo, id est, absque vl-
 lo verborum à propria natiuâque signifi-
 catione deflexu, accipienda sint eius ver-
 ba? Puderet, opinor, hoc illos asseuerare,
 quum omne troporum genus passim in
 sacris etiam scriptis obseruetur. Quum
 igitur in illum Exegesis locum non ali-
 ter debacchantur, quàm si scriptor ille
 sic iuberet aliunde quàm ex ipsius Chri-
 sti verbis peti voluntatis ipsius declara-
 tionem, & aliter loquutum esse Christum
 diceret, quàm animo intus senserit (quæ
 summa esset blasphemia & impietas)
 quid aliud agunt, quàm quod ii iudices
 solent, qui quoquomodo iitem suam fa-
 ciunt? Nec enim τὸ πρῶτον excludit, sed dun-
 taxat interpretatur, qui τοῦ ἑστῶτος διαλογίαν
 scrutatur. Quòd autem in eadē illa Exe-
 gesi dicitur, si simpliciter accipiatur Chri-
 sti verba, consequi necessario Transsub-
 stantiationis delirium, & reliquas idolo-
 latriæ species, necesse est fateantur verè
 dici, aut ostendāt quomodo disparata, Pa-
 nis videlicet & Corpus, itemque calix &
 sanguis, mutuò, propriè, & sine tropo

prædicentur, & qua ratione nõ sit adorandum, quod tamẽ est propriè Filii Dei corpus. Quid plura? si per pronomen Hoc, voluit tum signum, id est, panem, tum etiam rem significatam (sit præsens an absens nunc non quæritur) complexim declarari, non sine tropo postea totum id dicetur esse duntaxat res significata, id est corpus, & ad individui vagi commentum veniendũ erit, vt sit propositio idètica. Sin verò per id pronomen volunt demonstrari tantum panem, sed cum eo tamen contentum corpus intelligi: tum sanè fuerit necessariò constituenda Synecdoche, vsitata quidem illa, sed tamen tropus, quod manifestè etiam ac ingenuè Brentius agnoscit. Deinde nunquam elibentur quin τὸ ποτήριον in altera institutionis parte fateri cogantur sine Metonymiæ tropo intelligi pro contèto vino nõ potest. Omitto flaccidas illas ineptias, idem valere τῆτο, Hoc, atque simplex demonstrans aduerbium ἰδοὺ, Ecce. Et nos scilicet subtilibus argutiis hæc mysteria transformamus, aut etiam subuertimus, nouique fœderis tabulas corrumpimus? Quòd si quærenda est necessariò δὲ ἰσχυρία, quid

quid verè & appositè dici præter hoc vnū potuit, Quæ de Sacramentis dicuntur secundum sacramentalem significationem exponi oportere? Et tamē hæc illa est intoleranda profanatio, blasphemia, impietas: hic ille Sacramentarius furor, cuius ratione simus infra ipsos quoque inferos deturbandi.

E R R O R X.

Quod omnes contendunt corpore & sanguine Christi non posse nos aliter quam per veram fidem spiritualiter frui. Itaque etiam hac in Cæna ipsum solo spirituali modo secundum fidei naturam edi & bibi oportere.

R E S P O N S I O.

Si per corpus Christi intelligitur ipsius Corporis signum (quo loquendi genere dicitur à veteribus Christi corpus confici, in os intrare, in terram cadere, atque etiam consumi) nemo nostrum est qui corpus Christi negarit etiam oculis videri, manu tangi, ore comedi. Sin verò de ipsius veri corporis communicatione agitur, tum sanè cum Augustino, aut potius cum ipsa veritate sentimus trāslationē accipiendas voces Comedendi & Bibēdi, utpote quæ quū corporis sint actiones,

ad animum tamen transferantur, ne facinus, ut inquit ille, videatur precipi. Et cum eodem idoneo teste quod cibus iste non sit ventris, sed mentis, istam perceptionem verè tuemur ac defendimus, nõ corporis, sed solius mentis, & fidei instrumentis peragi, idq; ex sancti Spiritus virtute & omnipotentia.

E R R O R X I.

Quod fingunt se non facere ex Cæna nudum & vacuum signũ, neque se Christũ ex Cæna sua excludere, sed (quemadmodũ dolosè & fraudulentè loqui solent) se firmiter credere in Cæna non solũ beneficia & merita Christi, sed etiam carnem & sanguinẽ ipsius verè à se manducari & bibi: interim nihilominus fingunt, & contendunt omnes vehementissimè & rabiosissimè, verum & substantiale corpus Christi tam procul abesse à Cæna, quàm est cælum à terra.

R E S P O N S I O.

Imò testis est Dominus nos nihil per simulationem scribere aut loqui. Ista verò nostrorum istorum iudicium collectio, vacua esse signa Cænae Domini, si corpus & sanguis tam procul ab illis abesse dicatur, quàm cælum abest à terra, (quoniã videlicet

videlicet res significatæ nunc sunt in cœlis, ipsa verò illorum signa in terris) crassæ potius imaginationis figmento nititur: quasi nimirum non possint credentes verè fieri per fidem ex institutione Domini efficacem, corporis & sanguinis Domini participes, nisi eo ipso loco vbi sunt signa, res etiam illæ significatæ statuuntur: & tamè patres hanc eandem escã comedisse, & hunc eundem potum bibisse, etiam si nondum in rerũ natura re ipsa extarent, meritò dicantur, siquidem extra Filium Dei & quidem Mediatorem, ac proinde in vtraque natura consideratum, nullus vnquam fuit seruatus. Amplexa est igitur verè patrum fides nasciturum etiam Christum, quoniam fides est *ὑπόστασις* rerum quæ nondũ existũt. Quãto magis ergo nos eadem fide præditi, natam iam carnem, quanuis non iam in terris, sed in cœlis positam, spiritualiter quidem, sed verissimè tamen & efficacissimè amplectimur, quam nobis signa in terris ex instituto Domini quasi ob oculos ipsos sistunt? Et quæso, num ideo vacuum est Baptismi signum, quoniam, vel ipsis testibus Quindecim viris, Christi sanguis re-

ipsa cum aqua Baptismi eodem loco non
 sistitur? Sed illa longè manifestissima ca-
 lumnia est, quam nobis tribuunt: quòd cor-
 pus à Cœna Domini excludamus: quasi
 videlicet panis & Cœna, id est, id quod in
 illa actione sensibus externis præbetur, i-
 dem sit atque ipsa actio, quæ sicut terre-
 na & physica est quod ad signorum sum-
 ptionem attinet, ita etiã merè cœlestis, spi-
 ritualis, mystica est, si res significatas respi-
 ciamus. Atqui ne ab ipsis quidem signis
 panis & vini disiungimus corpus & san-
 guinem, nisi quod ad locorum distantiam
 attinet. Ab ipsa verò Cœna minimè per
 nos excludi Dominum cuius Cœna est,
 agè, ex ipsis D. Zuinglij disertis & perspi-
 cuis verbis diudicetur, quem illi faciunt
 nostrarum blasphemiarum autorem. Sic
 igitur ille totidem verbis ante annos am-
 plius iam tum hanc ipsam calumniã
 » refutans, Nos, inquit, credimus atque con-
 » fitemur, Christum in Cœna verè præsen-
 » tem esse. Imò credimus Cœnam Domini
 » non esse in qua Christus non sit præsens.
 » Et mox. Verum Christi corpus credimus
 » in Cœna sacramentaliter, (id est, vt sacra
 » symbola testificatur) & spiritualiter, (id est,
 » spirituali

spirituali modo & per fidem, ac Spiritus S. omnipotētia) edi à religiosa, fideli & sancta mente. Hæc ille. Itaque & de nostra sententia, & de nostrorū iudiciū calumnia liquere arbitramur.

ERROR XII.

Quòd non vicia corporis & sãguinis Christi de qua Paulus loquitur, de sola spirituali vnione cum Christo & ipsius corpore mystico, hoc est Christiana Ecclesia que Christi corpus appellari solet, intelligenda est. Nec villo modo credendum quòd Paulus de publica distributione corporis & sanguinis Christi In, cum, vel sub pane & vino secundum ordinationem Christi, & ipsius propriam & disertam declarationem loquatur.

RESPONSO.

Alia est membrorū cum capite quàm membrorum inter se sub eodem capite coniunctio, quā illa sit istius origo & vinculum: vtriusque tamē modum spiritua- lem & mysticum esse defendimus. Sic enim Cyrillus inquit, cap. 26. lib. 11. in Ioh. Nos vna eademque prorsus ratione & cū illo & inter nos vnum fieri corpus. Atqui sic corporali vnione, inquit, inter nos cōiungimur, vt tamen vnusquisque seorsim

„ subsistat & circumscribatur. Nam etiam si
 „ Petrus & Paulus vnum sint vnitatem cum
 „ Christo, Petrus tamen, Paulus non est.
 Neque enim, ut ipse Hilarius Arianis
 • concedit, *vel refundi homines in Deum,*
 Christum videlicet, *possunt, vel ipsi inter*
se in vnum aceruum coire. Et, ut rectè scri-
 bit Cyprianus, oralem istam perceptionem
 rei significatam ex professo iugulans, *non*
corporalis sed spiritali vnione, (id est, non
 corporali modo vnionis) *Christo vnimur,*
& corpus ipsius efficimur. Et Augustinus,
Quemadmodum, inquit, *Christus in nobis*
hic, sic nos ibi in illo sumus. Et alibi, *Chri-*
stus caput nostrum sursum est, & nos deor-
sum. Et tamen ille nobiscum hic est, & nos
sursum in illo sumus. Est autem ille in nobis
hic, quando ipsius templum sumus & nos in
illo, quando ipsius membra efficimur. Denique,
 inquit Cyrillus, *postquam Christus in cæ-*
los ascendit, in nobis est per Spiritum. Mera
 igitur calumnia est quod nobis impin-
 gunt, quod videlicet per corpus Christi in
 cœna Ecclesiam intelligamus. Et altera
 calumnia est, quod per spirituales vnio-
 nem intelligamus solius Spiritus Christi
 participationem: quum spirituales ideo
 voce-

vocemus, nō quòd solum spiritum illius, sed quòd non corporali, verùm spirituali modo & ratione, (id est, per sancti Spiritus virtutē, qui quantovis interuallo dif-
fita nouit copulare) & per fidē (quæ verbū Dei efficaciter apprehēdit) totum Christum, quanuis carne nunc in cœlis duntaxat positum, participemus.

E R R O R X I I I

Quòd hæc voces, In, cum, & sub pane & vino datur nobis corpus & sanguis Christi, secundum verba & eorum significationem & intellectum aliud sibi velint quàm hæc Christi oratio: Accipite, Edite, Hoc est corpus meum, &c. Et quòd hæc ratione à verò intellectu verborum Cœnæ, de quibus in harum terrarum Ecclesiis tantà præconia facta sunt, nimis longè discedatur: imò etiam perniciosior idololatria hæc ratione cōfirmetur quàm unquam fuerint abominations iudaicæ. Ita liber ille Heidelbergensis Bericht, & Exegesis planè venenatas blasphemias spargunt.

R E S P O N S I O.

Non ignoramus veteres, vt veritatem ostenderent Sacramentorum, id est, Deū
C. iiii.

verè dare credētibus, id quod per externa signa sensibus externis proponitur, voces istas In, cum, & sub, vsurpare. Neq; vereremur illis uti, nisi eorum præcipitia cautos nos redderent, qui perinde voces illas acceperunt, ac si res significatæ, eo ipso loco adesse dicerentur, in quo signa illarum sunt, ac distribuuntur. Quo dogmate & veritas corporis Christi, & verus ipsius à nobis secundum corpus discessus euertuntur, & Sacramentorum vsus peruertitur.

E R R O R X I I I I .

Quòd Dominus Christus suum corpus & sanguinem in Cæna non solum dare & promittere noluerit, sed etiam si voluisset non tamen potuerit. Ratio, quia non potuit plura promittere & recipere quàm cõditio & proprietates assumptæ humanæ naturæ patitur & promittit. Quòd perinde est ac si istam blasphemiam recitarent, diuinam potentiam & sapientiam non posse longius efferri, aut plura operari & ad plura extendere sese, quàm nostri oculi, sensus & ratio corporaliter & naturaliter videre, iudicare & pronuntiare possunt. Hanc blasphemiam docet Beza & plurimi eius coniurati complices.

RESPONSIO.

Si blasphemus est Beza, quòd dixerit, nec velle, nec facere posse Christum vt vnum idèmq; verum suum corpus, vno eodèmq; momento sit re ipsa in terris simul & in cœlo, sit etiam blasphemus Cyrillus, vt qui disertis verbis scripserit *Christum quum Spiritum immitteret Apostolis, non potuisse cum eis carne conuersari, vt qui ad Patrem ascendisset.* Blasphema quoque fuerit hæc Vigilij consecutio, *Quia caro Christi in cœlo est, non esse utique in terra.* Nam si vtrunq; verum esse potest, ineptè fuerit Vigilius argumētatus. Blasphemus quoque fuerit August. scribēs, *Omne corpus, ipsiusque adeò glorificati Christi necessarium* (necessarium autem est quod aliter se habere non potest) *loci spacium occupare, quem sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum.* At enim, inquit, blasphemus est Beza, quum dicit Christum non posse plura promittere & recipere, quàm cōditio & proprietates assumptæ humanæ naturæ patitur, & promittit. Imò vt omnia Beza scripta examinētur, nusquam scripsisse vel sensisse tale quippiam cōperietur. Et quod in nostris Ecclesiis docetur Chri

isti videlicet & credentium vnionem, qua
 fiat vt illam ipsam carnē quę in cælis est
 & permanet, nos in terris positi verè par-
 ticipemus, omnem ipsorum etiam Ange-
 lorum captū superare, an non satis osten-
 dit plura etiam nos Christi omnipotētiaē
 tribuere, quàm eos qui veram Christi *νο-
 υώσιαν* aboleri putāt, nisi realis illa præsen-
 tia cum pane in terris, & oralis illa ipsius-
 met corporis manducatio statuatur? Plu-
 ra autem non esse tribuenda ipsi Christi
 carni, quàm ferat ipsius naturæ humanæ
 veritas in æternum permanens, vltro se
 dixisse & sensisse Beza cōfitetur. Et quia
 declarauit Christus se veram ac proinde
 circumscriptam nostram naturam, etiam
 post glorificationē retinuisse, ac in æter-
 num retenturum: idcirco etiam docet Be-
 za fieri non posse, vt hæc natura circun-
 scripta manēs, sit simul in cælis & in ter-
 ra: quoniam contradictoria velle & posse
 mentiri, mutuò se consequuntur. Negare
 autem Deum posse mentiri, nō est omni-
 potentiam adimere, quia mētiri posse nō
 est potētiaē, sed imbecillitatis. Num enim
 alioqui Bezam isti existimant ita esse a-
 mentem, vt Deum promittere & præsta-

re neget, quod rebus omnibus creatis sit impossibile? Sed posse Deum promittere aut recipere, quod testetur se factum nolle: id verò pernegat. Impudens est ergo altera calumnia, quòd Beza omnipotētiam Dei viribus humanorum sensuum metiatur. Quis enim ita est stolidus, vt immensam Dei potentiam esse inficietur? Sed ex eo minimè consequitur quod isti volunt, posse Deum à seipso dissidere, siue hoc facere, quod ipse factum nolit. Sed agè, respōdeat pro nobis velut ex p̄fesso Theodoretus Dialog. 3. aduersus Eutyrianos scribens, eodē prorsus omnipotentiæ Dei argumento diuinā naturam humanis perpeſsionibus subiicientes, quo nunc vtuntur, qui humanam naturam proprietate Deitatis induūt. Sic ergo apud illum *Eraniſtes & Orthodoxus* colloquitur. *Er.* Nihil nō potest qui omnia potest Deus. *Orth.* Et peccare ergo potest, qui omnia potest Deus, vt tu quidem definiſ. *Er.* Nullo modo. *Orth.* Quare? *Er.* Quoniam non vult. *Orth.* Qua de causa autem non vult? *Er.* Quoniam ab eius natura alienum est peccare, &c. Disputationis autē huius ea conelusio est, Dominum Deū nihil velle co-

rum quæ non sibi suapte natura insunt. Possè autem quæcunque vult, sed ea demum velle quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia. Sic igitur liceat etiam Be-zæ concludere, *Mentiri, & contradictoria velle*, mutuò se consequuntur. Contradictoria autè sunt, *Finitum ac circumscriptum esse, & Infinitum ac incircumscriptum esse*. Christus ergo quum mentiri non possit, contradictoria ne velle quidem potest. Ergo qui vult naturam suam humanam esse circumscriptam, ne velle quidem potest, nedum re ipsa facere, vt sit incircumscripta. Ex hoc autem aliud quoque consequitur, nè pe ne hoc quidè Christum velle aut posse facere, vt vno eodèmq; momento sit tota eius natura pluribus locis, aut alicubi non localiter. Quoniam *Circumscriptum esse, & Non nisi localiter alicubi, vnoque tantum loco totum eodem momento esse posse*, necessariò & immutabili ordine sese consequuntur: adeò vt sit hoc certum Christianæ Theologiæ axioma, Ne Deitatem quidem effugituram esse circumscriptionem, ac proinde vbiq; totam non futuram, si quantitate prædita esset. Denique si pluribus simul locis tota vno momento esse

esse humana natura quantumvis glorificata, & Deitati hypostaticè vnita posset, iã proprietate sua spoliaretur deitas, quia quod ipsi proprium & incommunicabile est, fieret communicabile: Humanitas denique vel simul finita & infinita esset, vel in Deitatem trãsiens, Humanitas esse definirer. Non tollit igitur Dei omnipotentia Beza, sed vt illius prætextu falsum dogma statuatur de reali corporis Christi in terris simul & in cælis præsentia, quo veritas eidem corpori necessariò adimitur, ac proinde nostra salus euertitur, id verò pati non potest.

E R R O R X V.

Quòd verba Christi non plus dicãt quàm quòd Christus suo corpore & suo sanguine nos cibare & potare velit: hinc verò nullo modo istud effici, quòd Christi corpus & sanguis verè & substantialiter hic debeãt præsentia esse, distribui & accipi, secundum quidem Beza phantasticam sententiam.

R E S P O N S I O.

Negat quidem Beza totam illam corporis & sanguinis Christi præsentiam ac distributionẽ realem In, sub, vel cum pane, itẽmque oralem illam perceptio-

nem, vt articulis fidei ex diametro repugnantem, atque adeò tanquam (etiam si vera esse daretur) inutilem, & à fine propter quem instituta sunt Sacramenta dissidentem: Sacramentalem autem presentiam, id est qua fit vt propositis ex Christi mandato signis, res illæ ita significantur, vt verè quoque intellectui mentique fidelium offerantur per fidem spiritualiter ad vitam æternam percipiendæ, absit vt vnquam inficiatus esse deprehédatur.

E R R O R X V I.

Quod contra scripturam sit & contra articulum fidei de veritate humanæ naturæ in Christo, quam peccato excepto nobis similem assumpsit, & contra articulum de Ascensione in calos & exaltatione Christi ad dexteram Dei: perinde quasi esset aut etiam esse posset Scripturæ & verbum Dei sibi repugnans: aut quasi oporteat sine cōtradictione in Dei verbo, & in sapientia diuina & omnipotentia id esse contrarium aut suæ potentie impossibile quod nostris oculis, sensibus & intellectui impossibile & in seipso contrarium apparet, aut quasi iã tū demonstratū esset cū sacramentarij dicunt, Christus ascendit in calum, vel, Christi corpus est in calo, Igitur non est in Cœna.

na. Nam quia utraque propositio extat in sacra Scriptura, itaque Lutherus pronocavit omnes Sacramentarios ut dicerent & monstrarent à utilitatē & repugnantiam. Ergo adhuc in hunc usque diem cardo totius controuersia in hoc vertitur quod sacramentarii monstrare & euincere debent, quomodo hoc in verbo Dei contrarium & impossibile sit. Quia non est impossibile apud Deū omne verbum, Luc. 1. Omnia quæ Deus loquitur & promittit, ea potest præstare. Rom. 4.

R E S P O N S I O.

De omnipotentia paulò antè respondimus. Quot verò testimoniis constat veram esse ac circumscriptam Christi carnē (vtpote quæ non sit Deitas) tot quoque testimoniis conuellitur e. Christi verborum interpretatio, quæ stare non potest cum circūscriptione: quia pluribus simul locis totum esse & circumscriptum esse, ex diametro pugnant. Item quot testimoniis declaratur Christus secundum carnē nunc à nobis abesse, totidem quoque locis refellitur dogma quo ponitur realiter in terris adesse: quoniam Adesse & Abesse necessariò sunt contradictoria. Neque verò quum sic loquimur & sentimus, corpus Christi imbecillæ huius naturæ legi-

bus subiicimus, quibus illum solutum iam esse confitemur, sed illas demū naturæ humanæ leges intelligimus, quæ adeò sunt vero corpori essentielles, ut iis sublatis, res id esse desinat quod erat. Huiusmodi autem est omnis veri corporis hæc cōditio, ut non possit non esse locale, & vno semper spatio ubicunque fuerit circumscribi. Omnis, inquam, veri corporis sine vlla exceptione hæc cōditio est. Ideo Augustinus de ipso corpore Christi glorificato loquens, Tolle, inquit, spatia corporibus, & nusquam erunt. Et quia nusquam, ergo nec erunt. Item, Deus totus in cælo & in terra simul est, quod nulla creatura potest. Item, Omne corpus, ipsiusque adeò glorificati Christi NECESSARIO loci spatiū occupat, quem sic implet, ut in nulla eius parte sit totum. Item, Christus ubique est tanquam Deus, & in loco est propter veri corporis modum. Item, Immortalitas Christi corpori data est, naturæ autē non est ablata. Item Athanasius, Eum locum deseruit in quo erat, ut in alium locum veniret vbi nō erat. Ex ascensione verò Christi in cælum necessariò colligi absentiam eius à terris sic probat idem Augustinus,

Quia

Quia secundum carnem, inquit, ascendit
 in cælum, non est hic. Similiter Vigilus,
 Dei Filius humanitate sua recessit à no-
 bis, qui secundum diuinitatem dixit, Ego vo-
 biscum sum usque ad consummationem se-
 culi. Item, Quando caro fuit in terra, non
 fuit in cælo: & nunc quia in cælo est, non
 est utique in terra. Et Fulgentius, Christus
 homo localis secundum humanam substā-
 tiam absuit à cælo cum esset in terra, &
 dereliquit terram quum ascēderet in cæ-
 lum. Audiamus denique Vigilium sic lo-
 quentem, ut hæc esse merè cōtradictoria,
 proindeque eidem subiecto carnis Chri-
 sti, quantumuis glorificatæ, attribui non
 posse, penitus constet fuisse veteri & or-
 thodoxæ Ecclesiæ persuasum. Aut Verbum,
 inquit, cum carne sua loco cōtinetur, aut
 caro cum Verbo Vbique est, quando qui-
 dem vna natura cōtrarium quid & diuer-
 sum non recipit in seipsa. Diu- sum est
 autem & longè dissimile, circumscribi in lo-
 co, & Vbique esse. Et quia Verbum Vbi-
 que est, caro autē eius Vbique non est (er-
 go nec pluribus simul locis, eiusdē enim
 est virtutis pluribus & omnibus simul lo-
 cis esse) apparet vnum eundemque Chri-

stum vtriusque esse naturæ, & esse quidē Ubique secundum naturam diuinitatis suæ, & L O C O C O N T I N E R I secundum naturam humanitatis suæ. Hoc verò non est philosophari, sed verbum Dei ὁρῶμεν falsasque locorum in speciem contrariorum conciliationes ad articulorum fidei analogiam & normam exigere, sicut etiam faciunt patres (quorum vestigia sequimur) quum hæc duo loca, Me nō semper habebitis, & Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, nō ad vnā naturam, vt isti, neque ad realem aliquam præsentiam in Sacramēto, sed ad diuersas naturas, inseparabiles tamen, referunt.

E R R O R X V I I.

Quòd omnes sacramentarii de ascensione & exaltatione Christi ad dexteram Patris, planè pueriliter & phantasticè extra verbum Dei, & sine illo loquuntur, & fabulātur, quasi corpus Christi in celo conclusum & detentum sit in vnico quodam certo loco (sicut hirundo que cauernula, aut ciconia suo nido insidet, & hoc localiter cœclusa & retenta manet, aut sicut stellæ celo affixæ sunt, &c.) Et quòd ad cōfirmationem huius puerilis fictionis multa præclara & plena consalationis dicta Scripturæ violenter ab iis & horribiliter

detorquentur, trahuntur, & excarnificantur, ut illam sententiam vel stabiliant, aut ad minimum aliquo fuco & colore eam ornent.

R E S P O N S I O.

Imò videāt nostri iudices, an nō potius cauillentur quum id quod dicimus, *Christi videlicet corpus nunc cælo capi, siue cælo contineri, nec alibi nunc esse quam in cælo*) perinde accipiunt, ac si quopiā cælestium illarum sedium p̄ncto Christū veluti carcere includeremus; quem tamen nemo dixerit carcere fuisse conclusum, ne tū quidem quum in terris versaretur. Itaque futior est hæc calumnia, quam vt refutatione indigeat. Circumscribi quidem nūc & ita contineri cælo Christi corpus, vt alibi non sit, passim ex Dei verbo docent veteres Theologi, hancque fidem catholicam esse clamant: quorum testimonia alibi millies, & rursus paulo antè protulimus. Imò idem hoc ipsum, vt & nos facimus, non tantum ex Ascensione in cælos, verū etiā ex ipsa ad dexteram Patris sessione colligunt, quos tamē pueriliter quoq; nugari, vix nostri isti iudices nobis persuaderint. Sic enim Cyrillus, Corpore absens sedet & interpellat apud Patrē. Itē,

D. ii.

„ Non potuit cum Apostolis carne cōuer-
 „ sari, vt qui ad Patrem ascendisset. Et Vigi-
 „ lius, Quia in cælo est, nō est vtiq; in terra,
 „ Et Augustinus, Quia secundum carnem
 „ ascendit in cælum, non est hīc: & I B I, nō
 „ autem H I C, sedet ad dexterā maiestatis.
 „ Et Fulgentius, Ascendit in cælum, quia ve-
 „ rus est & localis homo, & terram localiter
 „ deseruit, quia ad cælū ascendit, & in dex-
 „ teris Dei sedet. Quid verò ipse Philippus,
 „ in Episto. ad Colossenses? A S C E N D I T
 „ C O R P O R A L I E T P H Y S I C A L O C A -
 „ T I O N E I N C O E L V M, id est in locum
 „ celestem vbiunque est, quia nō sunt hīc
 „ fingendæ allegorię. Ascensio fuit visibilis
 „ & corporalis, & ita semper scripsit tota
 „ antiquitas, Christū corporali locatione
 „ in aliquo loco, nempe cælesti, esse vbiq; q;
 „ vult. Et ascensio corporalis facta est sur-
 „ sum. Quid quod Heshusius ipse durius e-
 „ tiam loquitur? Nam, inquit, necesse est fa-
 „ teri, corpus in cælo certo spatio C O N C L V
 „ D I. Num verò etiam Philippus & Heshu-
 „ sius pueriliter istis nugantur?

E R R O R X V I I I.

*Quòd sacramētalis siue oralis fruitio pror-
 sus non sit necessaria, sed sit Capernaitica &
 Cyclo-*

Cyclopica creophagia, quemadmodum horribiliter & sceleratè omnes illi scriptores hanc blasphemiam euomuerunt: & quidem præcipuè ille hoc tēpore ipsorum magister de altis sensibus BEZA in omnibus suis scriptis.

R E S P O N S I O.

Sacramentalem sumptionem nemo vnquã nostrũm inficiatus est. Imò vbique ac præsertim in Heluetica Cõfessione à merè spirituali eò distinguitur, quòd in hac quidem nudum verbum siue signum audibile nobis proponatur, in illa vero signa etiã visibilia verbo adiungãtur: idque nõ frustra: quoniã quo plura sunt externa obiecta fidei nostræ, eò efficacius illã agere, ac proinde nos Christo eò arctius quasi incorporari oportet: cuius atque vtriusque illius perceptionis scopus ac finis est Christi communicatio. Oram autem illam rerum significatarum sumptionẽ fatetur Beza se prorsus nescire, quòd sublimitatis istius arcana nõ teneat, qua fiat vt verũ corpus realiter, & tamen illocaliter, infinitis simul locis totũ esse, simulque adesse & abesse, circumscriptũ & nõ circumscriptũ esse, corpus deniq; esse & corpus nõ esse, id est, mendaciũ esse, possit siue in

Dei, siue in naturæ schola. Addit etiã Beza, hanc manducationẽ oralem, etiã si vera esset, inutilem fore, quoniã quod ore sumitur vitã æternam non cõciliat, sed ideo sumitur vt corpus nutriat: neq; vita æterna à corpore transit ad animã, sed à mente fideli cõmunicatur corpori: neque à nobis in verbo Dei Christus corporis instrumento, sed sola fide dicitur apprehendi, vt meritò dixerit Augustinus, Quid os paras & dentes? cibus hic nõ ventris est, sed mentis, idque de hoc ipso mysterio differes. Et alibi externã istã carnis manducationem oralem vsque adeò sentiat ab his ipsis mysteriis alienã esse, et etiã scelus appellet, quod Dominus præcipere nunquam potuerit.

E R R O R X I X.

Quòd sacramentalẽ vnionem talem solũmodo & nõ aliã ponant & declarẽt, per quã externa signa (primũ propter ordinẽ & institutionẽ Dei & analogiã quæ est inter signũ & veritatem: deinde propter obsignationem gratiæ Dei quæ in vsũ Sacramentorũ fit: denique quia veri Christiani in legitimo vsu quũ externo modo ista sacra signa accipiunt simul etiã per vim & operationẽ Spiritus san

sti, promissa veritatis re ipsa & verè participes efficiantur) illud ipsum sint quod secundum consuetudinem sacramentorum nominetur, &c. Alii re brevius ita complectuntur, Sacramentalem unionem nihil esse amplius quam similitudinem inter signum & re signatam: hoc est quod externum signum spiritualium bonorum similitudo, significatio, & figuratio sit: quo quidem dogmate contradicunt huic nostrarum Ecclesiarum doctrina & sententia, ubi fatemur sacramentalem unionem esse hoc ipsum quod nobis cum pane & vino verè presens distribuatur, & ad comedendum & bibendum porrigatur, & detur verum corpus & sanguis Christi: & quod ita ob signatio, certificatio, & confirmatio nostra fidei fiat, non solum per nudum panem & vinum, sed etiam per ea de quibus diximus, verè presentia & presenter nobis oblata dona corporis & sanguinis Christi, &c. omnes istae & similes quae numero carent sophisticæ fallaciae, demonstrant & testantur evidentiissime, quod Sacramentarii, & una cum ipsis Exegesis, non possunt pati ut externa, terrenaque symbola panis & vini nominentur signa exhibitiva veri corporis & sanguinis Christi, sed tantum signa significativa, aut, si re quam optimè & astutissime tegere volunt, signa

*testificatiua, vel memoralia, hoc est tantum
nuda testimonia & memoralia spiritualium æ-
ternorum bonorum & beneficiorum Christi.*

R E S P O N S I O.

- Vnionis nomen improprie pro Cõiun-
ctione vsurpatur in hoc argumento. Siqui-
dẽ vix reperiri potest vlla vnionis species
qua dici possit Signa & Res significatas in
vnum quiddã coalescere. Interea minimẽ
inficiamur dici posse ac eoiã debere, signa
& res significatas hætenus Dei promit-
tentis respectu, vsque adeò coniungi, co-
pulari, connecti, vt nunquam Deus (qui
verax est) signum offerat sensui, quin rem
quoque significatam intellectui præbeat.
Sed duplex hic error admittitur: vnus est
eorum qui hæc coniunctionem putãt ef-
se absolutam quandam & essentialem co-
pulationem rerũ cũ signis, in eodẽ subie-
cto & loco: quum tamen hæc coniunctio
totã sit relationis, & significationis ex pa-
cto, sicut modò diximus. Hinc autem na-
scitur alter error multiplex, multorumque
mõstrorum ferax. Nani si vera esset illa v-
nio absoluta & essentialis, eodẽ subiecto
& loco, efficeretur certẽ & ore vtrũq; su-
mi, & nõ tantum à dignis & indignis, verũ
etiam

etiam à quibusvis animantibus signum accipientibus rem quoque sic cum signo vnitam accipi, infinita denique falsa, impia, absurda, necessariò consequerentur. In quibus vitãdis difficultatibus frustra sese torqueant necesse est, quicũque realem illam & substantialem vnionem pro Sacramentali, id est vera quidem, sed relativa duntaxat ex pacto coniunctione statuunt. Quod autem discrimen inter Exhibitiua & Significatiua Sacramenta statuitur, à Scholasticis ortum est, qui propterea quòd existimarunt cũ veterũ antenatum Christũ Sacramentis non potuisse re ipsa præstari quod nondum in rerũ natura extabat, idcirco illis tantũ significatam fuisse, non autem exhibitam escã illam spiritualement, Christum videlicet, tradiderunt. Et certè aliquod in hac re discrimen constituendum est, sed eiusmodi tamen vt cum Augustino sentiedum sit, patrum & nostra Sacramenta sicut signis differũt, ita etiam re paria fuisse. Sed quũ hoc discrimen in nos torquetur, perinde ac si in nostris Sacramentis diceremus Christi corpus & sanguinem nobis dũtaxat veluti in pictura quadam ostendi &

significati, non autem etiam à Deo præberi spiritualiter per fidem percipienda; magna fit nobi iniuria, qui ex Paulo, per Dei gratiam, didicerimus, Panem hunc quem frangimus, & Poculum hoc cui benedicimus sic esse signa, vt sint etiam corporis & sanguinis Domini *νομιμία*. Postremò & illud adijcimus, repudiandum esse quòd Sacramenta ipsa sint rerum quas significant exhibitua. Non enim res significatas exhibent ipsa symbola, sed Deus vnus ille est qui propositis signis istis, simul credentium animis spiritualiter per fidem apprehendendū præbet, quòd illis signis verbo cõiuncti significatur. Hoc cine verò est Sacramenta euacuare, aut in picuras inanes transformare?

E R R O R X X.

Postremò pro conclusione habemus pro meris furoribus Sacramentariis, & pro perniciosis & blasphemis irrisionibus & subsannationibus Testamenti à Filio Dei conditi, omnes venenatas & subtiles questiunculas quæ sine verbo Dei & extra illud, præterq̃ omnem necessitatem à Sacramentaduersariis mouentur, aciuntur, & nostra Christiane sententiæ velut ex diametro opponuntur.

Vt

Vt quando Sacramentarij; & eorū discipuli querunt,

1 *Quando & quomodo Christi corpus ad panem vel in panem veniat.*

2 *Quā propè pani adsit, aut quā longè ab eo distet.*

3 *Quomodo sub pane occultari possit & abscondi.*

4 *Quandiu duret unio Sacramentalis.*

5 *Quando corpus Christi iterum à pane recedat.*

6 *An corpus Christi quod ore accipimus, in nostrum corpus & ventriculum traiciatur, & an ibi concoquatur.*

7 *An dentibus conficiatur & cōminuatur.*

8 *Sitne vivum corpus vel mortuum, si quidem distinctè corpus sub pane, & sanguinè sub vino accipimus.*

9 *Ad quid tandem ista vera substantialis aut corporalis praesentia veri corporis Christi utilis sit & proficiat: siquidem de usu & fructu illius ipsius aliter loqui non possumus, quā sicut aliās de usu & fructu spiritualis praesentiae sentiendum est.*

10 *Quid tandem operetur Christus in dignis & indignis.*

11 *An corpora fidelium per corpus Christi*

naturali modo ad immortalitatem immutentur, sicut aliàs cibus naturalis in ventre hominis à natura mutatur.

12 *Quomodo Papiſtica abominationes de oblatione, cicungestatione & adoratione panis fundamentaliter refutari poſſint, ſi in ſententia noſtrarum Eccleſiarum conſtanter maneamus.*

13 *Quare ad panem In, cum, & ſub quo Chriſti corpus & ſanguis nobis porriguntur, & in quo, cum quo, & ſub quo ipſe Chriſtus præſens eſt, non liceat dicere ex vero pietatis affectu: Deus miſerere mei propter Filiũ tuum cuius corpus & ſanguinem ego de manu ſacerdotis verè & eſſentialiter accipio.*

14 *Cur non liceat dicere ad panem: Domine Ieſu, qui hinc verè & corporaliter præſens es, miſerere mei.*

15 *Ac ſi talis veneratio & adoratio panis damnari atque reiici non debet: cur non talem reuerentiam & religionem per quotidianam miſſificationẽ, circuitus, & alias Papiſticas ceremonias confirmare, augere, & omnibus hominibus commendare, & quàm maximè perſuadere licitum ſit.*

Omnes iſtas & alias his ſimiles innumeras voces, opiniones, fundamenta & errores veterum

veterū & nouorū Sacramētariorū (quibus firma & immota verba institutionis Christi, & per consequens veram substātialem presentiam corporis & sanguinis Christi se posse euertere sibi persuadent, aut quibus deinceps etiam conari possent veteres suos conceptos errores nouis glossis ornare, fucare, paliare & pingere) seuerè censemus esse periculosos & perniciosos errores atque furores qui in iis nostris Ecclesiis huc vsque per Dei verbū increpiti sunt & damnati, & quos deinceps etiam propter conseruationem veritatis & consolationis in Testamento Filij Dei nobis tradita damnari oportet atque necesse est.

R E S P O N S I O ad quidecim illa
capita.

Nos verò non modò curiosas, inutiles, prophanas omnes in quibusuis fidei articulis quæstiones, ac præsertim in hoc mysterio, quod verè magnum esse testatur Apostolus, abhorremus & execramur: verum etiam omnia illa dogmata, omnèque illas verbi Dei interpretationes, ex quibus positis illa tam absurda consequi in Dei ipsius schola necesse sit. Nā alioqui sapientia carnis nobis quoque stultitiā est. Videamus autem sigillatim

an non ista quæ nostri iudices hîc obseruant, ex illa ipsorum præsentia & manducatione necessariò in Dei schola colligantur: ac proinde nisi ex Dei verbo explicetur, necessariò quoque falsam haberi illarum interpretationem oporteat.

A D I.

Quando & quomodo Christi corpus ad panem vel in panẽ veniat. Primum omnium illud constat, veram esse & semper fuisse ac futuram naturam humanam quam Filius Dei in perpetuam personalem unitatem assumpsit. Constat & illud, verba Eundi, Veniendi, Ascendendi, Descendendi, propria physicâq; significatione dici de natura humana Christi, tum ante resurrectionem, tum in ipsa ascensionis historia, tum etiam post summam glorificationem, quum ventura etiam de cœlis credatur. Constat & illud, Agi de vera illius ipsius carnis præsentia & communicatione in Cœnæ Domini mysterio. Liquet etiam Panem illum, & illud vinum non nasci sed fieri Sacramenta, ac proinde aliquod dandum esse initium istius mutationis, qua fiat ut corpus & sanguis (posito dogmate consubstantiationis) incipiât realiter

realiter esse In, sub, vel cum illo pane, & vino, vt fierent Sacramenta. Constat, inquam, de istis omnibus, non ex Philosophicæ ratiocinationis principiis, sed ex ipso Dei verbo. Habet igitur hæc questio fundamentum in Dei verbo, in quo nulla sunt contradictoria, imò coherentia & consentanea omnia. Illa igitur interpretatione verborum Cœnæ concessa quæ ponit realem in terris In, vel sub, vel cum pane præsentiam humanæ Christi naturæ, ostendatur necesse est istius consubstantiationis aliquod esse initium, & aliquem finem: aut dicendum erit, Christi carnem ibi esse incipere quò nunquam venerit, ibique desinere esse vnde nunquam abierit, N est falsum esse Dei verbum de vera Christi carne, & eius naturæ conueniētibus necessariis attributis: aut meritò concludetur, falsam esse eam interpretationem, ex qua tot falsa consequantur. Loquor autem de necessariis attributis, cuiusmodi sunt localitas & mutatio loci in physico quantumuis glorificato ipsius Christi corpore. Nam *Subitò disparere, Super aquas ambulare*, cæteraque eiusmodi, veritatem

corporeæ substantiæ non tollunt : neque etiã *Per corpus solidũ penetrare*, quia sunt duntaxat *ἡ ὑπερσυστά & ὑπερσυστά*. Sed *Pluribus locis simul esse totũ*, & *Ibi esse quò non veneris, indè que abesse unde non abieris*, verum corpus esse denique & localiter nõ esse ubi sis, omnia hæc sunt verè ἀντιφαστικά, vnique Deitati quadrant. Falsã igitur ea verborũ Ccenæ interpretatio, ex qua illa consequuntur, non minus quàm impiũ est huic errori ex aduerso correspondens anthropomorphitarum dogma.

A D I I.

Quàm propè pani adsit corpus, aut quàm longè ab eo distet. Hæc quæstionem omnibus modis curiosam esse agnoscimus, nec à quoquam nostrũ motũ arbitramur.

A D I I I.

Quomodo sub pane corpus occultari possit & abscondi. Imò qui in consubstantiationis dogma inquirunt, non hoc quærunt, sed hoc potius, *Euaferitne corpus Christi illocale & inuisibile*, illud, inquam, corpus quod verũ esse & in cœlum verè recessisse, nec prius inde vêturũ ipsemet testatur, quàm veniat ipse iudicaturus

vivos

viuos & mortuos: & à quo peregrè nunc nos abesse testatur Apostolus, emigrare desiderans vt cum ipso esse possit. An verò potius habendum est pro erroneo dogma, ex quo contrariæ verbo Dei enuntiationes consequuntur?

A D I I I I. E T V.

Quãdiu duret vnio Sacramentalis. Quãdo Christi corpus iterũ à pane recedat. Quid hoc verò rei est. Annon illi ipsi nostri iudices hoc definiunt, quum dicunt, & verè quidem, quæ fuerant Sacramenta, extra vsum desinere esse Sacramenta? Alioqui cur nõ in Antichristi castra trãsimus?

A D V I. E T V I I.

An corpus Christi quod ore accipimus in nostrum corpus traiciatur & ibi concoquatur.

An detibus conficiatur & comminatur.

Quæstiones istas non nos mouimus, sed transsubstantiatores, vt satis constat. Illis igitur nõ nobis hæc tribuenda fuerint. Hoc tamẽ certũ est, absurda ista nõ minus necessariò ex reali cõsubstantiatione quàm ex trãsubstantiatione cõsequi: quod quũ Metusiastæ animaduertent, in eo certè videntur æquiores quàm nostri iudices

fuisse, quòd illos nodo dissoluere (quãuis id frustra) studuerunt. At nostris iudici-
 bus sunt blasphemus, furiosus, & impius, qui-
 cunque ad articulorum fidei, id est ad ve-
 ritatis corporis Christi, Ascensionis in cœ-
 los, & aliorum verbi Dei locorum nor-
 mam exigunt ipsorum interpretationes.
 Sed illud etiam magis mirandum est, da-
 mnari ab ipsis posse ut furiosos, qui quæ-
 stiones moueant quas ipsi in suis scri-
 ptis definiunt. Legant enim ipsi suorum
 scripta, & ibi scriptum inuenient, *hoc
 duntaxat discrimen apud illos constitui in-
 ter suam illam oralem manducationem, &
 eam quam Capernaui tribuunt, quòd isti
 existimarint frustulatim edi & comminui
 Christi carnem: ipsi verò censeant solidam
 ore tamen, comedi.* Nihil hîc affingimus.
 Hæc à suis doctoribus & voce & scri-
 ptis doceri non possunt inficiari, quin
 prolatis locis redarguantur. Quid plu-
 ra? Sic scribit Lutherus, *Vtinam omnes
 Papa tam Christianè egissent atque Nico-
 laus Papa cum Berengario.* Quid autem
 scibit bonus ille Papa? *Verum Christi cor-
 pus sensualiter & non tantum Sacramento,
 sed in veritate manibus sacerdotum tra-*
 Etari,

etari, frangi, & fidelium dentibus atteri.

Cedò igitur quomodo à nostris iudici-
bus damnatur tãquam curiosum & pro-
phanum, in quo tam expressè conuenit
Luthero & Papæ Nicolao?

AD VIII.

*Sitne uiuum corpus vel mortuum, siqui-
dem distinctè corpus sub pane & sanguinem
sub uino accipimus.*

Nos verò aliter hanc quæstionem,
eãque ex ipsorum dogmate necessariò
exorientem concipimus. Dicimus enim
quod ipsa rei euidencia demonstrat, Si
ualet illa realis consubstantiatio, & sim-
pliciter absque vlla vel minima interpre-
tatione seruandum est το πρώτον in illis
Cœnæ verbis: consequi sicut signa sunt
re ipsa non tantùm distincta, verume-
tiam locorum interuallo dista, sic etiam
seorsim corpus exangue, & sanguinem
absque corpore, oris instrumento sumi,
donec alicubi rursùm coëant. Exhor-
rescunt isti ad eiusmodi quæsitã. At
cur non potius exhorrescunt ad illa, qui-
bus positis, illa non in naturæ, sed in ipsa
fidei schola consequantur? Nec enim
naturæ schola nos docet Christi incar-

nationem , ascensionem , glorificationem , communicationem , ex quibus veluti ex principiis omnes verè de istis rebus collectiones proficiscuntur.

A D I X.

Ad quid tandem ista vera substantialis aut corporalis presentia veri corporis Christi, utilis sit ac proficiat: siquidem de usu & fructu illius ipsius aliter loqui non possumus, quàm sicut aliàs de usu & fructu spiritalis presentia sentiendum est.

Mira certè nostrorum iudicum ingenia. Damnant , & meritò quidem , curiosas & inutiles quæstiones , sed quænam illæ sint inquiri nolunt. Quæ agendi ratio si in Ecclesia obtineat , quid supererit nisi ut ad fidei implicitæ dogma reuoluamur , ac tandem ne ipsi quidem doctores quid alios doceant intelligant. Hanc tamen quæstionem illos veluti scopulum refugere minimè miramur , ut pote quam nunquam expedire possint. Sed illud interea obseruandum est, non corporalem, id est, corporis Christi presentiam in Cœna, sed corporalem ac realem presentia modum In, sub, vel cum pane à nobis negari.

gari. Imò in verbo etiam simplici Christum totum in cœlis & non alibi positum secundum carnem, tamen statui à nobis verè præsentem, etiam in solo verbo per fidem, ad vitam æternam apprehendendum, nedum vt eum à Sacramentorum mysteriis excludamus.

A D X

Quid tandem operetur Christus in dignis & indignis. Deus bone quid audimus? Si quærere non licet quo fructu ad Cœnam Domini accedatur, & vicissim quid iis sit euenturum qui illam polluerint, quo pacto nos diiudicabimus ne iudicemur? Quid enim aliud est quærere quod in hac quæstione proponitur? Num verò furiosus etiam & Sacramentarius Apostolus ad vtrunque disertè & perspicuè respondens? *Panis ille quem frangimus, inquit, communicatio est corporis Christi, & poculum cui benedicimus, communicatio est sanguinis Christi, nempe dignè & sicuti par est accedentibus. Contrà verò, qui indignè, inquit, accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini, & damnationem ipsi sibi edunt ac bibunt.* Sed præterea multa sanè ἀνάγκη

nostris iudicibus in hac quæstione exci-
 derunt. Digni enim impropriè vocantur
 etiam qui sicuti par est, pœnitentes vide-
 licet & credentes, ad Cœnam Domini
 accedunt. Nulla enim ne tunc quidem
 nostra dignitas est. Sed hoc leuiculum
 est, quoniam commoda interpretatione
 leniri potest. Istud verò vbitandem didi-
 cerunt, Christum aliquid operari in in-
 dignis, id est impœnitētibus, aut infideli-
 bus? Nam Sathan is est demum qui in
 infidelibus ἐρεπυσίται. Christus autem nō
 „ in illis, sed aduersus illos agit, vt qui in
 „ solis suis sanctis insit, vt ait Augustinus,
 „ per habitationis gratiā. Hic autē error ex
 altero promanet, quòd videlicet posita
 reali consubstantiatione & ora mandu-
 catione, cōsequatur, fieri non tantùm si-
 gnorum, sed etiam rerum significatarū,
 id est corporis & sanguinis Domini par-
 ticipes, qui inque os afferunt, siue dignè
 siue indignè accedant. Imò (quod horrē-
 dum est dictu, & tamen ex hoc dogmate
 efficitur) idem de quibusuis etiam ani-
 mantibus statuendum erit, si modò signa
 realiter consubstantiata deuorarint. Et
 re vera sanè magis etiam impuri sunt in-
 fide-

fideles nonnulli, quàm quæuis bestia. At non ita se res habet. Hic enim cibus, etsi tam verè offertur quàm ipsa signa, fidei tamen non corporis ori offertur, mentis videlicet non dentis cibus, signa verò non menti, sed ori præbentur, nisi quatenus mens à signis externis præeunte verbo institutionis diuinæ, admonita, ad res cœlestes fortius & efficacius assurgit. Itaque indignè accedentes non sunt rei corporis & sanguinis Domini, quòd ea indignè acceperint (nisi his nominibus signa duntaxat ipsa intelligamus) sed quòd ea sint aspernati. Stat enim illud, Vitæ fieri participes quicumque Christum in se recipiunt, siquidè à suo Spiritu viuifico separari nequit: neque Christus eorum est iudex à quibus accipitur (ut qui non nisi fide, ac proinde à solis credentibus accipiat) sed eorum à quibus per incredulitatem & impenitentiam repudiatur, quòd etiam respiciens Augustinus, inter *Panem Dominum* & *Panem Domini* distinxit. Et quoties tandem ista nobis erunt repetenda?

A D X.

An corpora fidelium per corpus Christi na-

E. iiii.

turali modo ad immortalitatem immutentur, sicut aliàs cibus naturalis in ventre hominis à natura mutatur? Hoc quidem querere non modo curiosum, sed etiã absurdum & ineptum est. Sed hoc iudicibus nostris probandum est, ad spiritualem alimoniam, & vitam, quicquam pertinere oralem carnis manducationem.

A D X I I. X I I I. X I I I I. X V.

Quomodo Papistica abominationes de oblatione, cicungestatione, & adoratione panis fundamentaliter refutari possint si in sententia nostrarum Ecclesiarum constanter maneamus.

Quare ad panẽ, In, cum, & sub quo Christi corpus & sanguis nobis porriguntur, & in quo, cũ quo, & sub quo ipse Christus præsens est, non liceat dicere ex vero pietatis affectu: Deus miserere mei propter Filiũ tuũ, cuius corpus & sanguinem ego de manu sacerdotis verè & essentialiter accipio.

Cur non liceat dicere ad panem: Domine Iesu, qui hĩc verè & corporaliter præsenses, miserere mei.

At si talis veneratio & adoratio panis damnari atque rei non debet: cur nõ talem reuerentiã & religionem per quotidianam missifi-

missificationem, circuitus, & alias Papisticas ceremonias confirmare, augere & omnibus hominibus commendare & quàm maximè persuadere licitum sit.

Num verò curiosorum est ac nō potiùs de salute sua meritò solitorum hominū, quærere an in pane illo & vino illo adorā- dus sit verè, realiter ac substantialiter præ- sens Christus? Hoc quidem nostri iudices negant, sed illa posita consubstantiatione, non minùs quàm transsubstantiatione cō- cessa, necessariò sequitur. Illud enim quod dicunt, non esse vsurpandum cūm ex- tra Dei verbum, verè dicitur, sed minimè appositè. Quis enim dixerit Christi adora- tionē esse ἐξελόθρησινίαν? Neque valet hæc exceptio, non iussisse Dominum corpus suum in pane adorari, sed accipi & com- edi. Regetur enim exprimi non oportuif- se, quod per se satis intelligatur, nēpe nun- quam accedendum esse ad Christum, præ- fertim re ipsa præsentem, sine adoratione, vt qui fit Deus. Quid plura? Si furiosi sunt & blasphemii irrisores qui hoc quærunt, & superstitiosi qui Christum in hoc pane a- dorant, quid fiet ipsi Luthero, qui ipsum- met panem adorabilem sensit & scripsit?

nisi hoc quoque postea emendauit, quem tamen nostri iudices *ὡσαύτως* faciunt. Hæc enim sunt illius verba in Louaniensibus articulis quos edidit anno Domini 1544. thesi 15. *In Eucharistia sacramēto VENERABILI ET ADORABILI, est & exhibetur & sumitur verè & reipsa corpus & sanguis Christi tam à dignis quàm indignis.* Et thesi 27. *Hereticos seriò censemus* (nos ab homine suis affectibus plus satis indulgente ad Deum prouocamus) *& alie nos ab Ecclesia Dei esse Cinglianos, & omnes Sacramentarios qui negāt corpus & sanguinem Christi ore carnali sumi in VENERABILI Eucharistia.* Excipient fortasse, vt cum Philippo perspicuè adorationem hæc ritè damnante Lutherum concilient, intelligendum hoc esse de quadam honesta veneratione qua non adoretur ipse panis, sed reuerentiam quandam animi in illa sacra actione estemur. At nos fanè nō videmus, si ponatur realis consubstantiatio, quānam non peccent qui Christum in illo pane non adorant & inuocant, quicum penè etiam eum hypostaticè vnitum esse voluit Lutherus, quod probabile non est à Philippo nō fuisse animaduersū. Philip-
pus

pus certè si isti tam seueræ Lutheri sententia assensus esset, neque (vt antè dictum est) cum Caluino, Bulingero, Martyre amicitiam ad extremum vsque coluisset, neque istiusmodi condemnationibus tum aliàs sæpe, tū verò maximè in Vvormatiensi postremo cōuentu anno Christi 1557. cōstanter obstitisset. Quod autem ad oblationem, & circungestationem, & manifestos eiusmodi idololatricos cultus attinet, de illis inter nos nec quæri nec dubitari arbitramur.

A D X V I.

Quæ de cæteris articulis nostræ Christianæ fidei, qui ineptè & imperitè ad certamē istud à Sacramentariis sunt protrōsi & cum eo commixti. Quæ, inquā, de illis sit nostræ fides, doctrina & sententia, de eo nos referimus ad totum corpus doctrinæ, & alia probata nostrorum præceptorum & Patrum scripta, etiam aliquot confessiones Dresdæ repetitas & subscriptas. Tandem etiam ad generalia Symbola veteris orthodoxæ Ecclesiæ, vt sūt Symbolum Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, Ephesinum, Chalcedonense & alia, in quibus illi articuli contra omnes blasphemias & hæreses plenè sunt declarati, & in certa-

minè contra hostes obtenti.

Quod restat, precamur æternum Deū Patrem Domini nostri Iesu Christi ex toto pectore, ut ipse harum regionum Ecclesias & omnes earum fideles doctores in vera atque incorrupta doctrina conseruare, & nostros magistratus nōsque ipsos à dogmatibus Suermerorum clementer custodire velit. Et precationem ardentissimam summi nostri Pontificis, Ioan 17, in his ultimis & periculosis temporibus efficaciter in tota Christianitate operari sinat, Ah Iesu Christe, Fili Dei viui, qui es via, veritas, & vita, sanctifica & cōserua nos in veritate. Sermo tuus est veritas, integros, simplices & rectos perpetuò nos conserua, Amen.

Quum certamen de hypostaticæ vnionis definitione & effectis, ab hominibus minimè ignotis, erroribus ex Nestorianorum & Eutylianorū lacuna repetitis, in Germanicis ecclesiis excitatū, fundamenta Christianæ religionis manifestè cōuelat, multasque iam Ecclesias ac scholas labefactarit: quī fit vt de illis quidem blasphemiarum auctoribus altum sit silentiū, nos verò qui neque de signis, neque de rebus significatis, neque de significatio-

nis

nis sacramentalis veritate, neque de ipsius
 corporis Christi vera cōmunicatione, ne-
 que denique de istius communicationis
 effectis vel tantillū dissentimus, vt fanatici
 tamen, prophani, hæretici, blasphemii, im-
 pii, Mahumetanis, Iudæis, Pōtificiis dete-
 riores, Noui testamēti corruptores publi-
 cè proscribamur? quia scilicet Christianus
 nō est, qui carnis Christi veritatē & eiuf-
 dē in cœlū ascensionē, pati nō posse dicit
 vt in terris simul & in cœlis, aut in pluri-
 bus locis statuatur, vel ore ipso manduce-
 tur: totūq; hoc mysteriū spirituale esse di-
 cit, & ad alterā vitam pertinere. Corpus
 certè doctrinæ in Saxoniam editū, nō realē
 illā præsentiam in pane quā inficiamur, sed
 præsentiam in Cœna dūtaxat vrget, quā mi-
 nimè tollimus, neq; oralem mādicationē,
 sed veram duntaxat manducationē cōme-
 morat, tātūm abest vt ea pro Christianif-
 mi summa aut fundamentis haberi postu-
 let, quæ tamen nisi cōcedamus, actum ef-
 se de Christiana religione nunc declami-
 tant, qui à Philippo ne tantillum quidem
 dissidere videri volunt. Neque verò Dres-
 densis cōuentus vltimus, aut realis in ter-
 ris præsentia, aut realis mādicationis me-

minit: neque Symbolum vllum orthodoxum vnquam conditum fuit, quo talia dogmata comprobentur. Imò cum fidei articulis illa duo cohærere nullo modo posse semper contendimus, & nisi in legitimo Ecclesiarum cœtu hoc ipsum euicerimus, de sententiâ decedere semper parati fuimus & sumus. Quo iure igitur, quo more, quo exēplo proscribimur? Videat Dominus ad quem prouocamus: expendant omnes pii & moderati principes, omnes religiosi Christianarum ciuitatum gubernatores animaduertāt, tuāque imprimis, Illustrissime Princeps Auguste, Celsitudo apud se expendat, quanto piarū infinitarum conscientiarum gemitu, quanto communium hostium gaudio, tantum sit incendium pauculorum flabellis excitatū, & quò tandem res sit euasura tempestiuè omnes considerent. Etiam Domine Iesu Fili Dei, vere Deus & homo, qui nobis testis es iniustissimarū quibus afficimur contumeliarū, adesto nobis: esto veritatis tuæ vindex: serua nos à linguis dolosis, & crudelibus consiliis: moderare populi tui rectoribus: compesce Sathanæ rabiem, nec lōgius progredi patere spiritus erroris effica-

ficaciam: cōdona donique iis qui nesciunt
quid faciunt, & da tandē nobis vt omnes
idē hīc de sancta veritate tua sentiamus,
& in cœlis collecti tecum aeterna illa fœ-
licitate perfruamur.



AD BREUEM CONFES-
sionem siue partem (quam vocant)
affirmatiuam

R E S P O N S I O.

AM verò ad articulos confessionis
de sacra Domini Cœna, siue par-
tem (quam vocant) Torgensium
actorum affirmatiuam accedimus, vt me-
liùs etiam qua de re inter nos disceptetur
omnes perspiciant.

I.

Primùm, docemus credimus & confitemur
ex imo cordis nostri, quòd vera præsentia es-
sentialis & veri corporis & sãguinis Christi
in sua Cœna (quã nos & omnes Augustanæ
Confessionis fideles socij viuentibus adhuc,
& posteaquam etiam mortui sunt, Luthero,
Philippo, Pomerano & ipsorũ fidelibus para-

statis, cōtra Pōtificatū & omnes Sacramēta-
rios semper docuimus & confessi sumus) su-
per nullū aliud fundamētū sit collocāda quā
super firma, immota, clara & vera verba in-
stitutionis Domini nostri Iesu Christi: quæ
clara & expressa institutionis verba, tanquā
huius causæ verissimū fundamētū, simplici-
ter sicut sonant & sicut omnes circumstantiæ
institutionis euidenter demōstrāt, & non ali-
ter accipenda & declarandæ sunt, idque pro-
pter hanc causam cui nūquā poterit contradici.
quia Euāgelista ista verba Testamēti Domi-
nici singulari diligētia & fermè iisdem ver-
bis describunt sine mentione vllius figuræ
aut noui & peregrini intellectus verborum.
Hunc vnanimem cōsensum sanctus Apосто-
lus Paulus, sicut ipse eū postremo ab ipso Do-
mino in tertio cælo acceperat, de verbo ad
verbum reponit & stabilit.

Vt autem declarationi Paulinæ ab hosti-
bus veritatis qui sunt Papistæ & Sacramen-
tarij nulla vis inferatur, & sincerus intelle-
ctus verborum suorū maneat, cum inquit, Pa-
nis quem frangimus, nonne est communica-
tio corporis Christi? Calix cui benedicimus,
annon est communicatio sanguinis Christi?
Itaque retinemus vnicam apostolicam decla-
rationem

rationem sicut ipse vult intelligi, nempe verba ipsius Domini, Accipite, edite, Hoc est meum corpus: & sicut etiam Lutherus hanc sententiã Pauli, gaudiũ & coronã cordis sui cõtra sacramentarios prædicat. ita nos etiã illã amplectimur & vsurpamus cõtra omnes novos & veteres sacramentifurẽtes qui hoc dicto Pauli conantur verba Christi, cõfessionẽ harũ Ecclesiarũ & sententiã Lutheri cõfodere, euertere, & mendacii suspecta reddere.

De auctoritate & veritate verbi diuini minimẽ inter nos cõtrouertitur, qui omnes Dei beneficio, vni diuino verbo αὐτοωίς penitus standũ esse cõsentimus. Agnoscimus & illud, Dominũ Deũ nostrũ minimẽ illufisse hominibus obscura & ænigmatica docendi ratione, quæ aliunde illata luce indigeat, sed ita tẽperatũ fuisse à Spiritu sancto verbũ quod sanctis Prophetis & Apostolis dictauit, vt, quẽadmodũ præclare docet Augustinus, si quid vno loco dictum est obscuriũs, alterius dilucidioris collatione explicetur. Profitemur & illud, nõ esse exigẽda diuini verbi arcana ad rationis humanæ normã, sed vbi hæc inter se repugnant, carnis stultitiã subiiciendã esse Dei sapientiæ, apud quẽ

omnia quæ promittit, possibilis & vera sunt. His principiis positis in quibus profus consentire pios arbitramur, hæc quoque postulata nobis concedi petimus.

• Vnum, sic inter se cōsentire omnes fidei articulos, vt vnus alteri nullo modo repugnet in Dei schola, id est, posito vero principio ex Dei verbo.

Alterum, non omnes Scripturæ locos esse *κατὰ τὸ ῥητὸν* exponendos.

Tertium, tropis non semper obscurari, sed interdum etiam illustrari, ac veluti coloribus adhibitis magis perspicuam fieri sententiam, quàm si simpliciter ac nudè quidpiam diceretur. •

Quartū, tum ad *διαβολίαν* esse necessariò refugiendum, quum oratio *κατὰ τὸ ῥητὸν* intellecta, sententiam parit articulis fidei repugnantem.

Quintum, voces, secundùm id de quo agitur, esse interpretandas.

Sextum, corpus Christi physica mutatione loci excessisse è terris vbi erat, vt supra omnes cælos, id est extra hunc mundum, in sedes illas æternæ fœlicitati destinatas ascenderet, vbi antea non erat.

Septimum, corpore Christi quantum

uis glorificato non ademptam naturã veri corporis, id est corpoream circumscriptionem, sed duntaxat carnis infirmitates, quas ad tẽpus nostri causa assumpserat, peracto nostræ salutis mysterio, ab eo fuisse abiectas.

Istis cõcessis ac nominatim duobus posterioribus, quæ nõ ex nature, sed ex verbi Dei schola depromimus, dicimus stare non posse dogmata quibus affirmatur,
 1 Corpus Christi suę substãtiæ præsentia reali simul esse in cœlis & in terris, & quidẽ quot locis distribuitur ex Domini institutione panis ille & vinum illud.

2 Corpus Christi esse re ipsa præsentis sui substantia in aliquo loco, nedum tot simul locis, modo non loca veri corporibus proprio, sed vel modo inuisibili & ineffabili, vel denique, quod alicubi non rectè profectò tuetur Dominus Lutherus, modo definitiuo spiritibus proprio.

Ex quibus etiam efficitur stare nõ posse dogmata quibus dicitur,

1 *Christi corpus re ipsa sui substãtia præsens adesse in, vel sub, vel cũ pane.* Quod autem de corpore dicimus, de sanguine quoque in altero vini symbolo intelligimus.

2 *Christi corpus ipsum manus instrumento sumi, & ore comedi.*

3 *Ipsius corporis Christi fieri participes quot quot illum panem accipiunt.*

1 Primùm, quoniã articulis fidei de veritate corporis etiam assumpti & glorificati ex diametro hæc repugnant.

2 Secundò, quoniã quo d ore comeditur nihil ad vitã spiritualẽ & æternam facit, cuius causa instituta sunt hæc mysteria.

3 Tertiò, quoniam humanam carnem propriè & verè ore comedere, siue solidè, siue frustulatim, siue visibiliter siue invisibiliter id fieri dicas, Christi præceptum nõ esse, sed cyclopicum scelus cù Augustino etiam ipso credimus.

Neque hinc consequitur nos

1 Testamenti verba negare:

2 Eius perspicuitatem novis intellectibus ac figmentis obscurare:

3 Nuda symbola æterni Testamèti facere, aut panem illum & vñum illud pro rebus communibus habere:

4 Verã ipsiusmet Christi totius ac præsertim ipsius Corporis & Sanguinis præsentiam in Cœna, ac communicationem tollere.

II.

Secundùm hac tenemus & credimus cordaliter & verissimè, quod in hac Cœna Dominica in qua ipse verè viuus admodum essentialiter, & quod ad personã attinet, indiuise est presens cū porrectione & acceptione nõ trãssubstantiati panis & vini, nobis verè & substãtialiter sed inuisibili, insensibili, & imperscrutabili modo, ad mãducandũ & bibendũ datur & à nobis recipitur verũ substãtiale corpus Filii Dei quod ipse suscepit, & pro nobis semel in trũco crucis obtulit, & verus sanguis ipsius quẽ pro nobis effudit in remissionẽ peccatorũ. Hac autẽ omnia ad istũ finem & vjũ, vt credentes sua redẽptionis & omniũ ipsius beneficiorum fiãt participes. Et vt Filius Dei hoc munere testetur quod nos certò recipiat, mēbra faciãt sui corporis, suo sanguine abluat, remissionẽ peccatorũ & Spiritũ sanctũ donet, ipse in nobis habitare, & perpetuò efficaciter in nobis operari velit.

Hac eadem credimus & profitemur, si modò substãtialiter pro ipsomet Christo, non autẽ pro eo modo quo substãtiã rerum externis sensibus cõprehẽduntur, & quo etiã necesse esset accipi corpus Christi, si reipsã cum pane adesset, accipias: &

insensibilē, ac imperscrutabilē illum modum non ad præsentiam, sed ad cōmunicationis modū referas, Manducādi denique ac Bibēdi voces translaticie ad os mētis & fidei accommodes, ne facinus, vt monet Augustinus, præcipi videatur. Etenim præsentia modum Sacramentalē facilē nobis est intelligere & effari ex Dei verbo, cum videlicet quo res ipsa significata offertur intellectui quidem cognoscēda & approbanda, fidei etiam amplectenda & credēti applicanda, sicut verbis Domini adiuncta symbola, externis ipsis sensibus testificantur & renuntiant. At quānam fieri possit vt Christi carnem in cœlis nūc positam nos in tērris positi, quamuis spiritualiter, verē tamen per fidem participemus, vt viuificum illum succum inde hauriamus. hoc, inquam, captum nostrum superat: & mysterium illud est quod Apostolus verē magnum esse pronuntiat.

III. IIII. V.

Tertiò, clarē corā Deo & tota Ecclesia testamur nos nulli opinioni sacramētariae, siue noua sit ea, siue vetus, addictos esse, nec unquā nobis in mentē venisse vt nos illi addiceremus. Præterea ad vitādas multas inutiles
& pe-

& periculosas disputationes & questiones,
 retinemus cōstāter & unanimiter formā &
 modū de sancta Cæna loquēdi ipsa verba in
 stitutionis Domini nostri Iesu Christi, & re-
 petitā declarationē sancti Pauli, quæ in no-
 stro paruo Catechismo sicuti etiā in maiori, &
 in aliis plenis diexodicis scriptis Lutheri, e-
 tiā Domini Philippi, p. mem. & aliis publicis
 scriptis vt suprā dictū est, cōprehensa est, vbi
 clarè & disertè de his rebus actū est. Confite-
 mur etiā atque credimus, quòd illæ ipsæ ma-
 gno consilio & iudicio factæ declarationes,
 de nullo signo aut figura absentis corporis,
 neque etiam tantum de spirituali manduca-
 tione, verū sicut ipsorū questiones & respon-
 siones clarè, intelligibiliter & Christianè so-
 nant, de sacramētali aut corporali manduca-
 tione veri corporis & sanguinis Christi in
 Cæna intelligi debeant. Lutherus testatur
 quòd Cæna Domini sit ipsius verū corpus &
 verus sanguis sub pane & vino nobis Chri-
 stianis ad manducandū & bibendum ab ipso
 Christo instituti, & quòd Domini corpus &
 sanguinem tā digni quàm indigni qui acce-
 dūt, accipiant. Ipse etiam Philippus in formā
 doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ V vit-
 tebergensi & Meggelburgensi clarè inter-

rogat, *Quid in Cæna Domini distribuatur & accipiatur? Respondeturque disertè & cōstanter: Verum corpus & sanguis Christi.*

Tali doctrina neque docemus neque probamus ullo modo ullā Papisticā Transsubstantiationē: hoc est, quòd virtute dictorum verborū institutionis huius sacramēti, panis & vinū in corpus & sanguinē Christi mutantur, & tantum nuda externa species panis & vini remaneat. Multo min⁹ hoc probamus vel docemus, quòd corpus & sanguis Christi localiter in panem & vinum includātur, aut durabiliter cum his uniat⁹ extra sumptionem: Verū scimus & fatemur quòd extra institutā distributionē & acceptionē, in idololatrīca Missā Papistica, aut si panis includatur in arculā, vel adorationis causa circumgestetur & mōstretur sicut fit in Papatu, Christi corpus nō præsens sit, nec præsens esse existimandū sit. Condemnamus omnes illos Papisticos furores & omnia βδελύματα, sicut huc vsque factum est & adhuc Dei beneficio fit. Neque etiam docemus aut credimus quòd hīc in Cæna vllā vel ascētio vel descensio de celo fiat, sicut noster dilectus Pater Lutherus loquitur: sed manemus firmiter & unanimit⁹ apud articulos fidei: Ascēdit in cælos, sedens

sedens ad dexteram Dei, &c. Neque etiam comminiscimur ullam ubiuitatem carnis, neque negamus veritatem corporis Christi aut ullum articulum fidei Christiana. Neque disputamus de modo praesentiae, quomodo Christi corpus & sanguis possint adesse: haec omnia sunt imperuestigabilia, nec ea potest humana ratio quantumuis acuta sit, eruere: sed commendamus haec diuina omnipotentiae, & simpliciter manemus apud verba Domini, in humili Christiana obedientia fidei: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.

Tenemus itaque secundum ista, quod v-nione sacramentali, panis sit corpus Christi, & vinum sanguis Christi. Confitemur etiam atque credimus quod ubi secundum mandatum Domini conuenitur, & ipsius institutio seruetur, ut panis & vinum porrigantur, ibi simul hic praesens esse & vere porrigi, accipi & ore comedi atque bibi verum & substantiale corpus & sanguinem Christi. Haec autem omnia propter institutionem, ordinationem, verbum, veritatem, & omnipotentiam nostri veracis & fidelis redemptoris Iesu Christi. Propter quam etiam causam cum veteri orthodoxa Ecclesia Canam Domini pro imper-

scrutabili mysterio habemus, nec possumus aliter facere in tam sublimi negotio, quàm ut fateamur & permaneamus in tam claris & veracibus verbis Domini nostri Iesu Christi, quæ sunt nobis & manent lucerna & lumen, Psal. 33. Verba Domini sunt veracia, quæ promittit, ea certè seruat. Luc. 1, Apud Deum non est impossibile vllum verbum. Rom. 4, Quæ Deus promittit, ea potest certò præstare. Ephes. 3, Deus potest abundantissimè facere & operari supra quàm possumus intelligere aut petere. Ipse etiã vincit in suo verbo, quò iudicatur, Psalm. 51. Et omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, Psal. 135.

Nos quoq; opinioniones omnes Anabaptistarum, Schœnfeldii, Campani & Caroloostadii interpretationē pronominis, Hoc, in Cœnæ verbis, pontificiorum *μωροσύναι* & idolomanias, omnium eorū denique commenta totis animis repudiamus, qui ritus Cœnæ substantiales immutant, sacra signa tollūt, aut qui à communibus rebus non distinguūt, qui res significatas aut penitus aut ex parte abolent, qui veram rerum significatarum cum signis coniunctionem, earūque veram

perceptionem negant. Séd vicissim in al-
 teram partem aberrantes minimè sequi-
 mur: eos videlicet qui coniunctionem
 signorum & rerum significatarũ inuehũt
 veritati rerum significatarum ex diame-
 tro repugnantem, & perceptionem, quæ
 tota mentis est ac fidei, ad corporea in-
 strumenta, contra fidei analogiam, & my-
 steriorum istorum scopum, trahunt. Spi-
 ritualis enim perceptionis nomine non eã
 intelligimus, qua percipiatur sola Christi
 virtus spiritualis, sed eam, quam sola Spi-
 ritus diuini virtus, quanuis interuenien-
 te hominũ ministerio, & verbo ac signis
 interpositis, in credẽtium animis efficit.
 Itaque corporalem, id est ipsiusmet Chri-
 sti corporis perceptionem ac *νομιονίαν* mi-
 nimè tollimus ex Cœna, vt antea ex ipsis
 Zuinglii verbis ostendimus: sed corpora-
 lem (id est, qui corporis instrumentis fiat,
 & substantias permisceat) istius perce-
 ptionis modum, ob eas quas diximus cau-
 sas, planè repudiamus. Lutherum agno-
 scimus singulare Dei organon fuisse, eiq;
 tantum tribuimus quãtum merentur do-
 na in ipsũ liberalissimè à Deo Opt. Max.

collata: n̄ uos tamen eius, ac præsertim ipsius in hac cōtrouersia sententiam non possumus cum verbo Dei cōciliare, ideóque nos eam non complecti minimè dissimulamus. Neque verò nostri ipsi iudices, quicquid scribant, probare possunt illius sententiam per omnia, nisi à seipsis uelint dissentire, ut qui imperferutabilem dicant esse istius præsentie Christi modum, & de eo se disputare nolle profiteantur, quem tamen Lutherus apertè alicubi dicit esse definitiuum, id est eum quo spiritus dicuntur locum occupare: inconsideratè id quidem (quod tanti uiri pace dictū fit) & ad dogma de Christi corporis in pluribus locis situ minimè appositè. Constat enim spiritus, id est tum Angelos tum animas nostras, etiamsi proprietate substantiæ non corporis mole definiantur, tamen definiiri, ac proinde simul pluribus locis existere non magis posse quàm corpora: in quarum disputationum labyrinthos mirum est eos uitrò sese conuicere, qui tamen nobis obuiere consueuerint q̄ Theologica philosophicè tractemus. Itaque inde uitrò delabens Lutherus ad hypostaticam vnionem, id est ex Scylla

Charybdin incurrit, & Brentianæ ubi-
 quitatis fundamenta iacit, quam tamen,
 quod nostri isti iudices tandē aliquando
 nominatim ausi sint explodere, multum
 illis gratulamur, modò hac in re perseue-
 rent, vt & de eo quod hunc eundem sco-
 pulum sapienter vitantes à suis scholasti-
 cis postulant vt pro sacramētalis præsen-
 tiæ fundamento, vnica verba institutio-
 nis Domini habeant, memores, opinor, il-
 lius ingenuæ Lutheri de se ipso confes-
 sionis, *Imperiti quidam, inquit, omnipotē-
 tem ex Christo hominē faciunt, permiscētes
 duas naturas, atque opera earum. Videmus
 Scripturam multo dexterius & explicatius
 de Christo loqui quàm nos solemus. Pul-
 chrè personam cum natura coniungit, ac rur-
 sus naturas nequaquam confandit, vt pauci
 sint (quod debemus humanis conuenientis qui-
 bus atatem nostram attriuimus, & ingenium
 corrupimus) qui id percipiant, vt ipse profe-
 ctò persæpe in his & similibus locis erraue-
 rim, & natura tribuerim quod cōpetit per-
 sonæ, & contrā. Hæc ille totidem verbis
 verè & prorsus orthodoxè, in quibus si
 perstare illū permisissent nostra peccata*

iam pridem definita esset hæc controuersia. Nec enim scripsisset, Christi etiã quatenus homo est, plena esse omnia. Quod quidem de toto Christo, siue de Christi persona, id est de Christo vt vno ὁμοῦς μένῳ considerato, verum est contra Nestorium: de toto autẽ Christi dictum, id est de naturis eius sigillatim cõsideratis, Eutychianum est. Nam soli naturæ diuinæ in sese competit, naturæ autem humanæ in sese non magis conuenit, quàm id esse quod Deus est. Sic etiam facilè & orthodoxè concedemus ex verbis institutionis Domini, ac non aliunde, Christum totũ cum illo pane verè a se esse, dari, communicari: at non totum Christi, nisi κατ' α'λλο, quoniam repugnat naturæ humanæ veritas, proprietatque per glorificationem minimè abolita. Viderint itaque nostri iudices quo iure suorum conscientias omnibus Lutheri hac de re scriptis ex diametro in præcipuo huius controuersia capite inter se repugnãtibz, subscribere cogant.

Ad scripta verò Philippi, ac præsertim ad corpus doctrinæ quod attinet, nõ dubitamus & ipsi prouocare, in quo videlicet
neque

neque istius In, cum, vel sub pane præsentia, si vnicum Augustanæ confessionis articulum excipias, cuius explicationes addit, neque oralis mādicationis vlla fit mentio: neque etiam indigni corpus ipsū Christi manducare dicuntur.

Denique in eo quòd existimāt totam corporis Christi in his mysteriis communicationem ab eius omnipotentia pendere, qui omnia quæcunque voluit fecit: in eo planè & per omnia consentimus. Sed primùm omnium negamus Deum cōtradictoria velle aut posse: non quòd sit impotens, sed quia mentiri non potest. quæ ratione rectè dicit Tertullianus, *Deo impossibile esse quod nō vult*. Cōtradictoria autē ex illa quam ipsi ponunt verborum Cœnæ interpretatione cōsequi, ac proinde interpretationem illorum, uti nō posse Dei voluntate vel omnipotentia, scæpe iam à nobis est demonstratum. Deinde & illud dicimus, spiritualementem illum præsentia & communicationis modum, longè euentius & admirabilius esse diuinæ omnipotentia *τεκμήριον*, quàm realem illā substantia corporis In, sub, vel cum pane præsentiam & oralem manducationem.

Hæc enim vtraque quauis, vt ipsi volunt, inuisibilis, tamen naturalis est: nec sanè eo mirifica. Quid enim magis est legibus naturæ cōfētaneū, quàm vt corporis instrumētis percipi res v̄o imæ & cōtiguæ, seu visibiles, seu inuisibiles possint?

V I

Habemus etiā pro vtilibus & certis regulis, quòd nihil sit aut esse possit Sacramētū extra v̄sum institutū. Hoc v̄nim clarū est & manifestū, quòd nulla creatura habeat potestātē Sacramenta cōdendi vel mutādi. Item quòd Dominus Christus in hac Cœna verè præsens sit nō propter panē, sed virtute promissionis & institutionis: siue propter hominē, in quo verā fidē, consolationē & vitam operari vult per suū verbū & Sacramētum. Sed intelligimus tamen institutum v̄sum secundū supra dictam declarationem verbi Dei: item secundū Lutheri, Philippi & omnium orthodoxarum Ecclesiarū editā & traditā confessionē de mandata distributione, & acceptione siue fruitione v̄triusque partis, nimirum rei terrestris quæ sunt panis & vinum, & rei cœlestis quæ sunt corpus & sanguis Domini. Cōfitemur etiam quòd iste ordinatus visibilis v̄sus discerni debeat ab interiori

interiori spirituali vsu, ne Sacramētarii occulto astu, sub vsu spirituali & sub pretextu istarū utiliū & necessariarū regularū, suū furorē fūdamēto carētē occultare & tegere possint. Etsi enim hoc verū est, quod iste spiritualis vsus, videlicet fruitio fidelis corporis & sanguinis Christi ab externo visibili ordinato vsu oralis fruitionis corporis & sāguinis Christi diuelli non debet: imò absque illa spirituali fruitione qua fidelium est, oralis vel Sacramētalis fruitio sumenti non solum non prodest, verū etiā valde ipsi est nociua, mortifera, & cōdēnationē adferēs, secūdum S. Pauli sētētiā: tamē proprie loquēdo aliud est externa actio vel distributio aut acceptio Sacramenti corporis & sanguinis Christi quam vulgaris regula institutum vsum nominat: aliud verò est fructus vel spiritualis vsurpatio distributarum & acceptarum partium Cæna. i. totius à Christo ordinati Sacramēti. Hic verò propter peruersiones Sacramentariorum istud etiam confiteri & in mentem reuocari oportet, quod propter hanc regulā non idcirco minus rectē dictum sit, quod Cæna Domini sit ipsius verū & essentialē corpus & sanguis sub pane & vino nobis Christianis ad edendum & bibendum

ab ipso Christo institut. &c. Item, quòd propter hanc regulam non sequatur, panem & vinum esse tantum nuda, inania signa, figuras & significationes absentis corporis & sanguinis Christi, aut quòd cum pane & vino verè & substantialiter verum corpus & verus sanguis Christi in eo non distribuuntur aut accipiantur.

Agnoscamus & nos & amplectimur has regulas, Quòd panis & vinum non habeant rationem Sacramenti extra usum siue actionem mysteriorum: &, Quòd non propter panem aut vinum, sed propter hominè hæc mysteria instituta sint. Neque vnquam, Dei beneficio, vsque adeò amentes fuimus, vt (quod nobis falsò tribuitur) distributionem ac *κοινωνίαν* signorum & rerum significatarum, id est corporis & sanguinis Domini, confuderimus cum ipsius communicationis effectis: vel Sacramenta à rebus communibus non distinxerimus. Cæterum quomodo tandem defendi possit illa Lutheri definitio non videmus, Cœnam Domini esse verum & substantiale corpus & sanguinem Domini sub pane & vino, nisi ipsemet tropum committat, quum maxime videtur τὸ πῖτόν virgere. Quum aliud planè sit ipsa actio quæ vilitatè Cœna Do

mini vocatur, aliud verò quod in ista actione datur, ac proinde *κτ̄ τὸ π̄ντ̄ν* vnum de altero prædicari non possit,

VII.

Retinemus etiã, & pro utili & vera habemus hanc quoque tertiam regulam, quòd institutio huius Sacramenti per Christum facta sit efficax, & maneat in Christianitate: & quòd dignitas aut indignitas tam ministri porrigentis quàm personæ sumētis hanc nō tollat aut minus efficacem reddat. D. Lutherus hanc regulam ita fundat: Sacramēta tractare & porrigere, usurpare & accipere, sicut etiam verbū Dei tractare, prædicare & accipere: hæc, inquam, omnia Christus in suū verbum & non in hominū factitatem constituit, ut eo certiores & securiores de verbo & Sacramentis reddamur. Itaque sequuti verba sancti Pauli, Confitemur quòd etiam indignis verè porrigatur verum corpus & sanguis Christi, & quòd illi hæc verè accipiant ibi ubi Domini institutio & ordinatio servatur: verum ad iudicium, quia scilicet illis abutuntur, dum sine fide & pœnitentia accipiunt.

Hanc quoque regulam, ut verbo Dei cōsētaneam semper asseruimus: Sacramēta

videlicet à fide aut incredulitate distribuē-
tis ministri non pendere. Fatemur quoque
plena Sacramenta, id est tum rem exter-
nā & terrenā, (vt aquā in Baptismo, pa-
nem illum & vinum illud in Cœna Do-
mini) tum etiam res significatas & cœle-
stes ab ipso Domino qui vnus est harum
dator, (putà ablutionē à peccatis, & infi-
tionem in Ecclesiam Dei in Baptismo, &
in Domini Cœna, communicationē cor-
poris & sanguinis ipsius, ad nostram cum
Christo coalitionem obfignandam) tum
dignis tū indignis verè offerri. Sed quod
inde nostri iudices colligunt, Si accipien-
da offeruntur quibusuis & signa & res si-
gnificatæ, à quibusuis etiam vtraque ac-
cipi, id verò minimè concedimus. Nec e-
nim valet hæc consequutio, Offeritur, er-
go accipitur. Ratio est, quia signa quidē
externis corporis instrumentis accipien-
da offeruntur: res autem significatæ, pu-
tā corpus & sanguis Domini, vnà cū ad-
iūcto verbo promissionis, soli intellectui
& fidei offeruntur apprehendendæ. Itaq;
quum quiuis afferant corporis instrumē-
ta, quiuis etiā signa percipiūt. indigni ve-
rò, quum intelligentiā non adferant, vel
etiam si

etiam si intelligētes sunt, fidei tamen manu & ore nō sint præditi, res significatas, id est ipsum corpus & sanguinem Domini, apprehēdere nō magis possunt quàm mortuum cadauer vesci, aut aliquid apprehendere is qui manibus careat. fiunt tamen rei tū sanctorū signorū, ipsiusque adeò totius sacræ actionis, tum etiā imprimis rerū significatarum (id est, ipsius corporis & sanguinis Domini) nō quas indignè acceperint (à solisenim fidelibus, vti diximus, accipi possunt) sed quod eas sibi oblatas contempserint, siue, vt loquitur Apostolus, non diudicarint.

● V I I I .

Ita q. docemur & cōfitemur Cœnam duplici modo accipi, spiritualiter & sacramentaliter. Spiritualis manducatio fit quando nobis in Euangelio beneficia Christi offeruntur, qua sua carne, sancta incarnatione, tota obedientia, sacrificio, sanguine, morte & resurrectione promeruit, vt sunt remissio peccatorū, reconciliatio, iustitia, Spiritus sanctus, resurrectio carnis & vita aeterna: quando videlicet illos à Christo promeritos thesauros credēte corde accipimus, amplectimur & nobis applicamus, nosque per illa cōsolamur in

omnibus difficultatibus & tētationibus: de qua Ioh. 6, Christus loquitur. Et ideo vocatur spiritualis, quod sine operatione Spiritus sancti, & sine viua & vera fide non possit fieri, sine qua etiam oralis fruitio non solum nullius fructus est, ut supra diximus, sed etiā mortem & condemnationem adfert. Hanc spirituales fruitionē requirunt verba Christi: Hoc est corpus meum pro vobis traditū: Hic calix est sanguis Noui testamēti qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorū. Item, Hoc facite in mei recordationem. Verbum enim illud P R O V O B I S, requirit mera credentia corda. Est uero alia manducatio, quam docendi causa, Sacramentalem siue oralem perceptionē corporis & sanguinis Christi nominauimus, sicut etiam Lutherus, Pomeranus, Eberus, & alii veteres & noui doctores Christiana Ecclesia nominant: ubi videlicet nō solum beneficia Christi per Verbum nobis oblata fide apprehenduntur & nobis applicantur: Sed etiam verum corpus & sanguis Christi Domini nostri per quem nobis parta sunt aeterna illa bona, nobis in Cæna ut nostra sint propria donantur, & cum pane & vino accipiuntur, ad confirmationem, corroborationem & conseruationem nostræ fidei.

Ne in hoc quidem spiritualis & sacramentalis manducationis tradendo discrimine inter nos satis conuenit, propterea quòd realè In, sub, vel cum pane præsentiam Quindecim viri statuunt, quam nos ob eas, quas diximus, causas repudiamus. Itaque quòd Sacramentalem manducationem definiunt, qua fiat, vt non tantum beneficium Christi, sed etiam ipsum verum corpus, vnà cum pane ore accipiatur, siue cum fide siue sine fide signa illa accipiantur, nò admittimus. Sed quemadmodum Sacramenti nomen dupliciter accipitur, interdù videlicet pro re dütaxat terrena, siue pro signis (veluti quum Sacramentum definitur esse verbum visibile, & quoniam dicimus panem & vinum esse Sacramenta corporis & sanguinis Domini) interdum verò tum pro re terrena tum pro cœlesti: sicut dicit Irenæus Sacramenta duabus rebus constare: ita etiam duplicem esse dicimus Sacramentalem manducationem, vnã merè externam, per quam, propter incredulitatem, altera tantum pars nempe signum percipitur, quò sensu dicit Augustinus impios manducate Christum Sacramento tenus siue corpus

Domini, id est corporis Domini Sacramē-
tum, sicut ab eodem scriptore dicitur *cor-
pus Domini confici, cadere in terram & con-
sumi*, manifesta metonymia Sacramenta-
li: Alteran, qua fit, vt sicut signa corpore,
ita etiam res significatæ percipiuntur a-
nimo & fide, ac proinde totū integrum-
que Sacramentum accipiatur. Ac prior
quidem illa meritò à spirituali distingui-
tur ac disiungitur, vt pote quæ sit merè
carnalis, & conueniens solis infidelibus
qui Spiritu Dei carent. Posterior verò so-
lis fidelibus propria, cum spirituali copu-
latur inseparabiliter, diciturque sacramē-
talis quidem respectu externi signi, spiri-
tualis verò respectu rei significatæ, quæ,
sicuti diximus, non nisi spiritualiter & fi-
dei ore percipitur. Prætereà Sacramenta-
lem percēptionem interdum à merè spiri-
tuali sic discernimus, vt merè spiritualis
sit ea perceptio, vt in quotidiana Euange-
lii auditione ac meditatione qua Christū
in nudo & simplici verbo prædicato ap-
prehēdimus: Sacramētalis autē ea dicatur
in qua ad simplex verbū adiūgatur etiā si-
gnū, vt in Baptismo & Cœna Domini. V-
trobique autē, i. & in merè spirituali, & in ea
quæ

quæ præterea sacramentalis est, non tantum eadem beneficia Christi, sed etiam totum ipsum Christum in primis nobis fide apprehendendum offerri docemus, a patris & verbi Dei, & orthodoxorum patrum testimoniis freti. Quia neque Christum ipsum absque ipsius donis, neque dona Christi absque ipsomet Christo nobis donari, aut in nobis obsignari credimus, quamobrem dixit Hieronymus nos etiam in simplici ipsius verbo, pasci ipsius carne, & eius sanguine potari.

IX.

Et hæc quidem credimus & nobis persuademus esse verum intellectum & sensum verborum Christi in hoc sacramento, imò etiã Confessionis Augustanæ, Apologiæ & aliarum confessionum à nobis scriptarum, quæ in Corpore doctrinæ comprehensæ sunt. Et quoniam aeterna & immota veritas quam incliti & Christianissimi Electores atque principes qui Confessionem Augustanã cum magno vitæ & corporis periculo coram Imperatore & omnibus imperij Statibus, & una cum illis multi præclarissimi & excellentissimi viri, infinitæq; myriades Christianorum pectorum contra Papatum & furorẽ Sacramentarium unanimiter confessi sunt, & usque ad nostra tempora propugna-

runt & cōseruarunt: quæ etiã in quibusdã ante annos cōplures Dresdæ conscriptis confessionibus in hoc unico intellectu ab omnibus harum regionum Ecclesiarũ doct̃oribus & pastoribus eò cōuocatis approbata & subscripta est: ideo etiã nos deinceps propter breuitatem, pura & bona cōscientia ad illum vnicum celeberrimum consensum eò referimus & prouocamus.

X.

Et ex prædictis omnibus in conclusione & fundamēto sequitur, quòd vt veritas in hoc articulo cōtra omnes doct̃rinas erroneas cōseruari queat, non opus sit vt Papistæ idcirco aut Sacramētarii aut Eutychniani aut Nestoriani fiamus per cōfusionē aut separationē naturarũ Domini Christi: Itē quòd vrorũ, Papistarũ & Sacramētariorum à nobis cōdēnatis abominatiōibus & furoribus sufficienter & fundamētali ter possit responderi & cōtradici, quãdo in ista Christiana & puerili simplicitate verborũ Christi cōstãter manemus & perseueramus. Propterea etiã illi qui nos propter hãc Christianã simplicitatē Papistis cōferãt, & nos idololâtras esse clamitãt, atque cotumeliosius quãm ipsos Papistas traducũt: isti, in quã, harum regionum Ecclesiis & doct̃oribus manifestã vim & iniuriã inferũt;

& habebunt quod hac de re in ultimo iudicio resposuri sint. Horrendæ abominations Antichristiani illius Pontificatus iam dudum euerse sunt à sancto Euāgelio & scriptis nostrorum præceptorum: proinde posthac in nullo disputationem aut dubitationem quod ad hanc rem attinet deduci possunt aut debent. Sicut itaque Papæ abominations reiicimus & condemnamus, ita etiā reiicimus & cōdemnamus Sacramentariorum furorem: siquidem clarū & manifestum est quod ille initio crassius & importunius per Carolostadium & Zuinglium eruperit: deinceps verè à doctoribus paulo subtilius & acrius quasi emendatus, & de die in diem cum maiore auctoritate probatus sit, ita tamen ut illi veteri primo, crasso & inepto sermone deinceps tantum nouæ glossæ sint additæ, & illiti noui colores. Existimamus proinde quod veteres & noui crassi, & subtiles Sacramentarij in fundamēto causæ inter se concorditer consentiant, & vnum atque eundem fanaticum errorem doceant, videlicet, in Cæna Domini nihil esse plus quàm simplicem & nudum panem & vinum.

Nos verò etsi Dei beneficio testari quoque possumus nobis domini non deesse grauisimorum ac doctissimorum hominum scripta, qui neque Dei donis, neque nume-

ro cedant, & quibus firma cum iis extitit
amicitia, quorum nunc mortuorū aucto-
ritate nos oppugnant, qui viuis ac super-
stitibus illis nihil tale efficere potuerūt: &
• illustrium Martyrū (quādoquidē ita Deo
visum est) proferre penē myriadas possu-
mus, quorum incredibilis ipsūque etiam
crudelissimis hostibus admirabilis cōstan-
tia doctrinā hanc quā ex verbo Dei tue-
mur, nō chartis & calami, sed omniū cru-
ciatuū victoria ob signauit: absit tamen vt
alibi quā in vno Dei verbo fides nostra
cōquiescat, aut in alio quā in ipso glo-
riemur. Itaq; & cōfessionē nostrā, & Do-
ctorum nostrorū scripta semper subieci-
mus legitimis ecclesiarū iudiciis, monēte
Apostolo prophetarum spiritus esse pro-
phetis subiectos. Mirum autē non est Ec-
clesiam hodie tot tristissimis dissidiis scin-
di, quum ipsis Apostolorum tēporibus de
fidei nostrę capitibus sit disceptatū iis ad-
huc superstitibus, qui Filiū ipsum Dei vi-
derant, & audierāt. Neque idcirco, vt cē-
sent Epicurei, incerta est Christiana reli-
gio, & Academicorum ἀναταληψία simi-
lis, vt Castellio volebat, sed hoc arguit hu-
mani iudicii imbecillitatē quæ magis ac
magis augetur, merente mundo vt oblate

Lucis cōtemptū sic cōduplicatis tenebris
 Deus vlciscatur. Christianorū aurem Ma-
 gistratuū munus fuerit sic malis istis me-
 deri, vt vbi graues ac doctos homines, &
 de quorum alioqui pietate & bonis mo-
 ribus cōstat, inter se dissidere vident, dēt
 operam vt mutuò sese audirent, & mutua
συζητήσει controuersias cōponerent, vt in
 Christiana Ecclesia Cōstantini aliorū-
 que deinceps piōrum principum antiqua
 norma præsriptū fuisse, initio posuimus.

Compescenda etiam essent turbulēta
 ingenia, inhibendi tribunitij clamores
 multorum malorū fōtes tum in ciuilibus
 tum in Ecclesiasticis causis, neque afferē-
 da essent præiudicia, siue ex personis, siue
 ex inueteratis opinionibus sumpta. Ve-
 tusti sunt enim plurimi & quidē crassissi-
 mi errores: & heroica sūt etiā inter Eccle-
 siasticos vitia, vt heroicæ virtutes, quod
 præcipuè in hac infelicissima cōtrouersia
 nimium perspicimus. Cogēdæ essent non
 priuata, sed publica auctoritate Synodi
 nō λησπικαί, in quibus iidē sederent acto-
 res, testes, ac iudices, neque ad dānandos
 fratres, sed ad diiudicandas placidè con-
 trouersias cōparatæ. Nec armandi essent
 Magistratuū potestate noui Dioscuri au-


daces, vel ex eorum hominū genere, quibus rectè dixit Comicus nihil quicquā esse iniustius, qualis fuit sub Cōstātino Eusebius ille Nicomediensis, ac postea Vrsarius & Valens, ac deinceps alii quorū ambitio & audacissima inscitia quas Ecclesias perdidit, quot doctos Episcopos pessundedit, quibus denique malis per ipsos fascinatos principes orbē terrarū inuoluit? Et quoniam nemo est in istis tumultibus qui Dei nomen & zelū non prætexit, diiudicāda essent ex dictis & factis ingenia. Nec sanè esset difficile non modò ex ipsis argumentis quæ nō omnes intelligūt, sed etiā ex ipsa agēdi ratione perspicere quo spiritu causa hæc à nonnullis agatur. Iubentur homines sententiam nostram non ex nostris scriptis, quorum lectione nondum cognita causa, seuerissimè interdicitur, sed ex eorum ipsorum voce & libellis intelligere, qui quicquid illis libet nobis apud imperitam plebem affingunt. Et ne quid ad nos grauādos desit, inuoluunt etiam deprauatas nostras sententias cum hæreticorum damnatissimorum dogmatibus, quæ à nobis ipsis vel maximè oppugnari non ignorant: ac tandem denique iidem illi suis magistratibus abutētes, sibi


partes damnandæ & proscribendæ Ecclesiarum Christianarum lōgè maximæ partis arrogāt. Imò postquam eò vsque pro-
 uecti sunt vt viuos ac mortuos grauissi-
 mos quosque homines nominatim pro-
 scripserint, iis interea parcentes, quo-
 rum maximè intolerandas opiniones esse
 constat, putant suam latere posse *προσω-
 ποληψίαν*, si necessitatem quam vltro sibi
 accersuerūt, suarū Ecclesiarum studium,
 principū denique, quibus imponāt, man-
 datum prætexas. Nos etsi nonnullis Au-
 gustanæ Confessionis capitibus subscribere
 semper recusauimus, ab sit tamē vt pro-
 pterea ab eius Confessionis Ecclesiis o-
 mnibus semel disiliamus, aut pro fratri-
 bus eos non colamus, quibuscū per omnia
 non consentibus, minimè id quidem qua-
 si, vt astuti solent in humanis negotiis, sic
 in Ecclesiis simulata vel prodita veritatis
 ingenua professione temporari obsequēdū
 putemus: sed quòd ista de quibus adhuc
 controuertitur (excepto Vbiquitatis do-
 gmate) minimè existimamus fundamen-
 tum nostræ salutis euertere, modò ne ex
 antecedentibus vsque ad cōsequētia de-
 ueniatur, quod paulatim à nonnullis fieri
 maximo cum nostro dolore videmus. Sed


his certè malis, etiam si à plerisque aucto-
 ritate præditis negligantur, aut ea certè
 remedia adhibètur quibus vulnera potiùs
 recrudescant quàm sanentur, suo tempo-
 re medebitur ille qui sic exerceri vult suos,
 vt qui probati sunt manifesti fiant. Nos
 interea reddere omnium & singulorum ra-
 tionem in legitimo iudicio Ecclesiarum
 parati sumus, inimicis nostris bene preca-
 mur ex animo: Tibi Iesu Christe Fili Dei
 causam tuam commendamus, teque, si
 scientes quenquam fallimus, testem ac iu-
 dicem in caput nostrum aduocamus.

Reliquis duobus illius Torgensis Con-
 uentus scriptis, quorum vnum interroga-
 toria vocant: alterum verò articulos qui-
 bus subscribi à vobis iubent, idcirco nõ re-
 spondemus, tum quòd nihil contineant
 cui non sit abundè responsum, tum quòd
 eorum interrogatis respòdere, vel eorum
 mandatis subscribere, Dei beneficio mini-
 mè teneamur. Subscriptiones denique
 nullas addidimus, quibus integro volu-
 mine opus esset, ne pugnare numero po-
 tiùs quàm causæ bonitate videamur.

F I N I S.









E.

2